

me sciscitando et visitando curam habes, sed etiam A
 bonis tuis me fulcire et sustentare non desinis. Quanta autem mala in me peracta sunt, nec enarrare, nec scribere tibi per omnia possum. Ante omnia vero patricia infesta mihi erat¹, eo quod non restituebam Anthimum dudum patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus suis meritis damnavit. Urgente quoque ejus jussione, exierunt quidam falsi testes, dicentes adversum me crimina, quorum nunquam particeps fui. Sed dum multi in eadem accusatione persistenter, timuit Belisarius patricius noster², et mandavit me ad se venire pacifice pro quibusdam ecclesiasticis dispositionibus in palatium Pincis³, et ad primum et secundum velum retinuit omnem B
 clerum et populum qui mecum veniebat, et nullum permisit introire nisi me solum, et Vigilium diaconem meum. Me vero vi retento et ante prædictam patriciam deducto, miserunt in exilium, in quo modo sustentor pane tribulationis, et aqua angustiarum. Ego tamen propterea non dimisi, nec dimitto officium meum: sed cum episcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt, anathematizavi⁴, et una cum illis apostolicâ et synodali auctoritate statui, nullum unquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum; et si aliquis deinceps ullum unquam episcoporum ita deciperet, anathema maranatha fieret in conspectu Dei et sanctorum angelorum. Similiter sanctorum Patrum roborantes decreta statuimus (licet sæpissime jam statutum fuerit) nec falsos, nec inimicos suspectos accusatores vel testes C
 unquam super episcopos suscipi, eisque nocere nul-

latus posse: quia falsam aut suspectam, aut odiosam vocem, aut funestam, potius interdici quam audiri sanctis Patribus placuit. Summopere, charissime, tales cavendi sunt⁵, et avertendi atque rejiciendi, si nocentes apparuerint: quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges tales non suscipiunt, sed repellunt. Unde scriptum est: *Os impicum devorat iniquitatem* (Prov. xix). Et Dominus per prophetam loquitur, dicens: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocenter agès. Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (Psal. xvii). Et Apostolus inquit: *Pervertunt mores bonos colloquia mala* (I Cor. xv). Idcirco, ut jam prælibatum est, mali semper cavendi, et bonis atque benevolis est inhærendum, ut periculum desidie, quantum possumus, devitemus, et ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua possumus abscondamus: quoniam non temeritas intervenit presumptionis, ubi est diligentia pietatis. Agat semper unusquisque vestrum hac informatione⁷, apostolica fultus auctoritate, juxta vires suas, et fraterna dilectione, ac sancta religione mores proprios conservare, et in communi alterutrum adjuvare, et in charitate permanere, et Dei voluntati indesinenter studeat inhæ-
 rere, ut simul laudantes Dominum, indefessas illi gratias semper agamus. Vale in Christo, charissime semper, et prædicta prout melius poteris, Domino opem ferente, adimplere, et reliquos fratres apostolica auctoritate informare studeto. Data ix kalendas Decembris, Justiniano quintum⁸, et Belisario [Vulsiario] viris clarissimis consulibus.

¹ Jussu Augustæ Theodoræ.

² Anastasius aut quis alius auctor pontificalis.

³ Alias *principis*, ut in c. Just.

⁴ Sent. illa in Vigil. lata merito suspecta, ut paulo ante observavimus.

⁵ Hæc jam sæpe sæpius ab Isidoro in fictis epistolis decantata.

⁶ S. Leo ep. 2, 4, 92.

⁷ S. Bonifac. Mog. archiep. 17.

⁸ Consulium nota falsa.

ANNO DOMINI DXL.

S. LAURENTIUS NOVARIENSIS EPISCOPUS.

Notitia Margarini de la Bigne.

Hunc esse suspicor Laurentium priorem, qui ex D
 Novariensi factus sit Mediolanensis archiepiscopus vigesimus quintus, ad annum Christi 507, cujus encomia videatur celebrare Ennodius (a). In Dictione missa Honorato episcopo Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum. Qui etiam Honoratus administrato Novariensi episcopatu annis triginta octo (qui-

(a) *Veni, inquit, piissime Domine, etc., evocatus sanctorum sacerdotum merito, electi seorsim præsentis patris nostri Laurentii conscientia, qui tot plenus dotibus a Ecclesiæ fastigium crevit, quot scissenturum singula quæque pontificem in quo vernal boni*

operis princeps et honestatis mater verecundia, religionis sanctæ nutritrix patientia, Deum semper placatura pietas, et quæ Ecclesiasticis membris non sermone vitæ instituta tribuet sed exemplis, etc.

S. LAURENTII

HOMILIÆ

(ex Biblioth. PP. Lugd.)

HOMILIA PRIMA

De pœnitentiâ.

Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta, in quibus datur duplex hominibus remissio peccatorum. Est namque remissio publica et est remissio privata. Publica tempus suum habet, privata suum exercet tempus. In publica fons est indulgentiæ, in privata fructus est pœnitentiæ. In illa donum Dei, in ista labor hominis. In illa baptisma, in ista pœnitudo. Et quæ sunt ista tempora debent agnosci. Tempus primum est ab Adam usque ad Christum. Tempus secundum est a Christo usque ad consummationem sæculi. Hæc sunt duo tempora. In primo quid est? Peccatum Adam, quod Christus solvit. In secundo? quid? peccata propria, quæ labor hominum et sollicitudo exstinguit: illud generale est, hoc speciale. Adverte quod dicitur: Peccatum Adam quod in filijs ejus permansit, divina clementia abstulit. Sarcinam illam in se suscepit Salvator, et evertit: quando? In primo tempore. Ubi? In fonte baptismatis, fluvioque Jordanis. Ibi clamabat Baptista, digitoque ostendebat cœlestem Principem, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. 1)*. Peccatum mundi quid est? Delictum Adam per traducem seminis ad filios devolutum. Agnus igitur Dei Christus; tinctus in flumine, tulit noxiam sarcinam a Patre in filios derivantem. Nefas illud pessimum, a serpente suggestum, in fonte intinxit, in flumine abolevit, in carne cremavit. Tulit debitum unius, et donavit indulgentiam cunctis. Caput curavit et sana sunt omnia membra. Verum ab hoc fonte vel indulgentia generali aliud jam exoritur tempus: commissa peccata non aqua delet, sed pœnitudo remittit. Et hoc tempus utrumque psalmista David in quinquagesimo psalmo notavit. Primum tempus posuit, ubi per Christum loquitur in persona Adam. Et quid dicit? *Incerta, inquit, et occulta sapientiæ tuæ manifesta mihi. Et quæ sunt ista? Incertum fuit salvari Adam lapsum in mortem, sed manifesta facta est, et redemptio ejus in carne et remissio ejus in aqua, vidi in spiritu quomodo clementia tua missa per unigenitum, et patrem recepit de crimine, et filium donavit saluti. Ecce incerta sapientiæ tuæ, quæ mihi tua dignatio revelavit? Quid ergo Adam? Ipse est qui per Christum exultat in David dicens: Domine, asperges me hyssopo, et mundabor (Psal. L)*. Culpa enim mea me obruit, imo crimen prævaricationis scedavit. Sed, *asperges me hyssopo*, id est aqua viva, *et mundabor*. *Asperges me aqua Filii tui sacro sanguine mixta, et mundabor. Laabis me, et super nivem dealbabor? Lavabis me in illo venturo fonte et mystico flumine in quo, non solum crimen meum exstinguetur, sed et candor meus quem recepurus*

*A sum, etiam super nivem excellet. Futurum est Genitor, et mittas Filium tuum unigenitum, qui auferat malum de mundo, quod per me introductum est, et non fraudentur filii in facinore patris. Ille aperiet viam salutis, ille reserabit remissionem fontis, et crimen meum abolebit in aqua et Spiritu. Asperget me gratiæ suæ guttis, et mundabor. Lavabit me ignifero lumine, et super nivem dealbabor. Hæc est primo tempore remissio generalis: videamus quid in secundo. Item Psal. li declarant: *Usquequaque lava me ab injustitia mea, et a delicto meo munda me (Ibid.)*. Ecce tempus, et tempus superius Adam, inferus David. Ibi lavacrum est aquæ, ubi dicit: *lavabis me et super nivem dealbabor*. Hic lacrymæ sunt pœnitentiæ, ubi dicit David, *usquequaque lava me ab injustitia mea et a delicto meo munda me*. Illud publicum, hoc privatum. Illud gratiæ, hoc clementiæ. Illud omnium, hoc singulare. Illud mysticum, hoc morale. Abluitur Adam corpore Christi, ut veterem abjiciat hominem et induat novum. Abluitur David in corde compuncto, ut reformet in se speciem quam crimen suscevit. Ille renovatur in fonte, iste reparatur in fletu. Illum gratia curavit, istum gemitus reformavit. Qui commissum suum hirsuto corpore dolet; et lugens peccati sui ante se pingit imaginem, ita asserens: *Usquequaque lava me ab injustitia mea. Quare usquequaque? Quia iniquitatem meam agnosco, et delictum meum contra me est semper*. Tanquam si ita diceret: *Sanaveras me, Domine, jam ante in patre meo Adam, quando membra illius in te suscepta tinxisti in fonte, abluiti in flumine. Liber existebam beneficio tuo, nec potui indultam mihi gratiam retinere. Iterum enim in me ipsum erravi. A patris delicto liber effectus, proprium commisi delictum, de publico ereptus loqueo, privatum incurri. Non est jam fontis nec aquæ præsidium. Quid faciam, aut unde piabor? Nunquid mereor iterum indulgentiæ tuæ imbre perfundi, generalique lavacri flumine dilui? Absit. Non ego jam aquæ munus repetam quod ablui. Semel petam quod semel concessum est. Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo. Est in me exiguus quidam humor, qui non me more torrentis infundit, sed modico sudore inrorat. Laboris mei me guttis ablui quero, verborumque scintillis virus in me conceptum exuri desidero. Usquequaque lava me ab injustitia mea: non jam aqua, sed opere lava me; non baptismatis fonte, sed pœnitentiæ rore. Quia delictum meum contra me est semper. Vidi me: cognovi factum meum, stat ante me delictum quod me deformavit. Usquequaque lava me ab injustitia mea, quia cognovi quod feci: quod ego cognovi, tu dignanter ignosce. Despice, tu, quod ego inspicio. Sufficit me videre hoc. Tibi displicui: *averte faciem***

nam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. Quare? quia delictum meum contra me est semper. Scriptum est in corde meo, exaratum est sub oculis meis, fixum est in conscientia mea. Ablue, tu, quod ego scripsi, exime quod ego depinxi. Hæc in figura plorata sunt; hæc induxi in speculum quinquagesimi psalmi, in quo ad aspectum nostrum et primi temporis et secundi gemina imago resultat: primi in Adam, secundi in David. Licet ambo, sive Adam, sive David primi temporis spatio concludantur. Spiritus est sanctus qui loquitur in prophetis, et tempus utriusque a se distinguit, et prævaricationis venia signetur in Adam, pœnitentiæ manus exsolvat in David; sermo namque propheticus, et præcedentem faciem temporis et sequentem depingit in psalmo. Vobis igitur (dilectissimi) sermo iste componitur, ad vos dirigitur ista assertio. Vobis hæc disputatio clarum profectum habitura ingeritur; in quibus calor fidei peccato forte interveniente perfrixit. Mens perdit obstupescit, spes depravata liquescit, omnisque futurorum intentio aperiata torpescit, dum secum unusquisque perpendit, sibi que reputat, ac intra se loquitur ita: Quid facturus sum modo, quid superagendum est mihi, aut quid restat sperandum? Redemptus fui, et factus sum servus; liber fueram, factus sum servus peccati; perdidit gratiam largitoris, amisit beneficium redemptoris; claro corpore egressus de fonte, cœno meiterum immundo perfudi, limoque lædavi. Purus de gratia Dei, factus sum de propria intemperantia perditus. Error meus de filio famulum, de intimo inimicum, de hærede exterum [Suppl. fecit]. Violavi symbolum meum, corrupti pactum in ipso vestibulo fontis conscriptum. O quam infelix conditio! O quam miseranda consilia! Operibus diabolicis me renuntiatum sponderam, et implere non valui! Malis quibus carui, in ipsis relapsus contaminor! Evangelicam tunicam rursus in pellicia commutavi. Stulam meriti, quam mundani texueram, labiliorum fuscavi, et novum hominem iterum vetustate contexi. Quid nunc requiro, aut quid expecto adhuc: ubi quæro fontem, aut ubi invenio baptismum? Nunquid est respectus ad aquam? nunquid recipiet me adhuc unda, ut me reformet in utero aquæ et pariat innocentem? Aut forte quærere debeo adhuc dexteram sacerdotis, quæ me mergat in fontem; et inde iterum purificet! Hæc tecum loqueris; tu hæc tecum tractas, conscientia tua onere prægravatus! Sed quæ sunt hæc verba tua, O homo, cognosce te esse imaginem Dei. Sapientem te fecit Deus, providum animo, mente mysticum, sensibus sublimem, et vult te non perdere sed salvare; non perimere, se! protegere: quare tu desperas, quando ille non despicit? Conscientiam tuam formidas, et ad caput indulgentiæ non festinas? Quid putas esse fontem qui concepit, aut quid aestimas esse undam aquæ quæ te peperit? Nunquid aqua est media, aut unda in causa? Absit! sed discite mysterium. Prudentia tua fons, et in te intellectus tuus aqua est inundans, habens aspectum cordis, ut videas temetipsum. Ac-

A cepisti mentem altiora petentem; sta in altitudine mentis tuæ quasi imago Dei, et de speculo hoc dei-fici operis profunda rimaberis. Habes arbitrium et sensum de Deo concessum. Delibera apud te, cum sis imago Dei, quomodo non possis exstingui. Si est in te prudentia, si habes consilium, et proprium mentis arbitrium, Deus in te est. Ipse tibi erit pœnitentia, et fons et baptismus, et remissio, qui nunquam in te nec desinit nec deficit. Quid ambiguus æstuas: quid resolveris animo, et inter ineptia lædia conscientia tuæ fatigatus torpescis? Peccasti post fontem, lapsus es post baptismum, fecisti crimen post indulgentiam generalem: quid nunc? perit jam spes? nunquid intercepta est retributio? Non est ita homo! Quid circumduceris? signum accepisti de fonte, non desperationis sed miserationis, non defectionis sed remissionis, non ut unquam desperes. Signum acceperunt Judæi: quale? circumcisionis. Signum acceperunt et Christiani: quale? miserationis. Ecce signum in Judæis: circumcisio carnis; in Christianis circumcisio cordis. Sed satis hæc illa præstantior. In illa sanguis incisionis, in hac aqua remissionis. Ibi plaga carnis, hic palma pietatis. Ibi observantia rigida, hic indulgentia regia. Et hoc utrumque signaculum Christus pendens in patibulo prænotavit, quando de vulnere suo et aquam eduxit et sanguinem (Joan. xix). Ut sanguinis signaculum daret Judæis, aquæ vero indicium gentibus Christianis. Signum ergo tu accepisti de fonte, non Judaicum sed evangelicum. Ex illa die illaque hora qua egressus es de lavacro, ipse tibi es fons jugis et diuturna remissio. Non opus habes doctore, non dextra sacerdotis. Mox ut ascendisti de sacro fonte, vestitus es veste alba, et unctus es unguento mystico: facta est super te invocatio, et venit super te trina virtus, quæ vas novum hac nova perfudit doctrina. Exinde te ipsum statuit tibi iudicem et arbitrium; deditque tibi notitiam ut possis ex te discere bonum et malum; id est inter meritum et peccatum. Et quia non poteras, manens in membris corporisque compage, liber exis ere a peccato, immunisque esse a noxa, post baptismum remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras sacerdotem cum necessitas flagitaverit; sed ipse jam, ac si scitus perspicuusque magister, errorem tuum intra te emendes, et peccatum tuum pœnitentia ablueas. Itaque desinat duritia, cesset desperatio, desinat ignavia, fons nunquam deficit, aqua intus est, ablutio in arbitrio est, sanctificatio in solertia est, remissio in rore lacrymarum. Nolite solvere in seguitiam: fons est in homine conservatus perpetua pœnitentia. Ibi est pœnitentia ad vocem Baptistæ, qui sic vociferatur in eremo, et penetrabili clamore desertas hominum mentes exaggerat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (Math. iii).

Nemo potest superni imperii habere apicem, habere fastigium, nisi fuerit pœnitentiæ suffragio fultus. Ad regni superni penetrabilia non pervenit quis-

quam, nisi egerit poenitentiam. Repetit adhuc Baptista : *Ego (inquit) baptizo vos aqua in poenitentiam, sed alter est post me veniens, qui vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Noli tu jam querere neque Joannem, neque Jordanem : ipse tibi esto Baptista. Pollutus es post lavacrum, vitata sunt viscera tua, contaminata est anima ? tinge te in aqua poenitentiae, ablue te abundantia lacrymarum, exuberet fons compunctionis in extis tuis : exudent aquae vivae in libris tuis. Para te venienti Domino, et ipse te baptizabit in Spiritu sancto et igni, *habens ventilabrum in manu sua (Ibid.)* : quod est inspectio vel ponderatio poenitentiae ac peccati. Ipse perpendit in te utrumque pondus, ipse inspicit in te molem et molem : unam poenitentiae, et unam pestilentiae. Et poenitentiae quidem fructus, ac si triticum, congerit in tuum profectum ; peccati vero tua, quasi pestilentiae paleas, comburit igni inextinguibili (*Luc. iii*). Haec est privata remissio, intimo corde provocata, et poenitudine acquisita. Multa sunt repetenda, plurima replicanda. Genus hominum fragile est, et lubrico semper gressu incedit. Natura corporalis obnoxia est rebus contrariis : passionibus etenim diversis ac vitiis subjacet : nec tantum de propria puritate, quantum de divina pietate dirigitur. Et, si hodie quis confidat de merito, de robore animi, de vigore viscerum, crastino fallitur ac decipitur. Sic enim protestatur Apostolus dicens : *et qui se putat stare, videat ne cadat (I Cor. x)*. Carcer est vero qui animae fortitudinem premit et claritatem contaminat. Laqueus est semper imminens jugiterque insidians ; laqueus est pestifero lapsu protensus in via. Et inde est quod clamat propheta : *In via hac qua ambulabam, occultaverunt laqueum mihi (Psal. cxli)*. Et iterum : *Juxta semitam, scandalum posuerunt mihi (Psal. cxxxix)*. Implicatur plerumque anima in hoc corporeo laqueo, et si velit, et si nolit, nec liberatur sponte, priusquam divino suffragio per poenitudinem supplicans, ut ait iterum propheta : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captione dentibus eorum : Anima nostra sicut passet erepta est de laqueo venantium : Inqueus contritus est, adjuvante Domino, et nos liberati sumus (Psal. cxxii)*. In laqueo haerebat anima : erepta est non suis viribus, sed divino praesidio. Et quis est iste laqueus, nisi caro quae animam in proposito suo bene currentem vexat semper, carpit jugiter, capit frequenter ? et enim unus stimulus per membra insidians. Dico, quomodo in oculis est laqueus gravis. An non cognovisti quemadmodum anima (non dicam, saepe, sed semper) captivatur in aspectu ? Unde avaritia insidiatur, unde libido incenditur, nisi de corporali aspectu ? Vidisti laqueum fortem ? nec immerito scriptum est : *Nequius oculo quid est factum in homine (Eccli. xxxi)* ? Et iterum : *Intrabit mors per fenestras (Jer. ix)*. Et lingua tua laqueus est insauabilis ; spargit enim venenum maledictionis, blasphemiae, susurationis, detractionis ; et non solum corda, sed etiam exulcerat animam. Et inde est quod obsecrat ille praesul poenitentiae dicens : *Pone, Domine custodiam*

ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis. Nec minus interserit alter : *quis dabit cogitationi meae flagellum, aut quis imponet super labia mea signaculum?* certe ut tunc loquar quando non est tacendum, et quod prompserit lingua non mordeat, sed nutriat animam ; sonabit vox adversa in auribus, et homo interior stimuletur in ira, concitatur in caede. Vides quia et in auribus laqueus permanet ? et inde illa Scripturae commonitio sonat : *Sepi aures tuas spinis ; noli audire linguam nequam (Eccli. xxviii)*. Laqueus est in manibus : ut dictum est : iniquitatem manus vestrae concinnant. Et iterum : *Ut quid mihi jejunastis quando subditos vobis compungitis, et percutitis pugnis humilem (Isai. lviii)* ? Quid dicam de noxio pedum incessu, crurumque cruore infecto, ut est illud : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem (Psal. xliii, Rom. iii)*. Has namque insidias corporales, hos laqueos singulorum membrorum de corpore eruendos, sententiis suis decernit Salvator : *Si oculus tuus dexter, si manus tua vel pes scandalizat te (Matt. v ; Marc. ix)* : id est animam tuam divina desiderantem, caelestia cogitantem, depravant. Si laqueis suis te implicent, aut fraude sua nituntur visus eruere : abscinde non manum aut pedem, sed pestilentiam tibi per haec membra morbumque illatam. Quamobrem dictum est : *Si oculus tuus dexter te scandalizat, si manus dextera vel pes : nisi quia omne quod bonum est dextrum dicitur, similiter malum appellatur sinisterum ? Et est pars dextra, et est pars sinistra. Dextra suos retinet probatos ; sinistra suos aequè reprobatos.* Ad dextros quid dicit Christus ? *Venite, benedicti Patris mei, possidere regnum paratum vobis ab origine mundi (Matt. xxv)*. Quid ad sinistros ? *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.* Vides quanta distensio est in sinistro et dextro ? quid igitur si oculus tuus dexter scandalizat ? disce quid est quod quando committis peccatum, oculo tibi ministrante, dulce tibi et dextrum videtur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in sinisterum, quando residente Domino et discutiente peccata ceperis inter multos alios et ipse audire : *Discedite a me, maledicti, peccatores injusti, in ignem aeternum.* Scandalizavit te oculus, subripuit, delinquis, per visum te implicavit ? *erue eum.* Quid jubet eruere ? oculum, an peccatum ? Oculum suggerentem commissum. Nunquid oculus peccavit quia vidit ; an magis animus deliquit quia concupivit ? Caeterum si per cuncta peccata vel scandala non animi cupiditas reprimeunda est, sed effodiendus est oculus quia vidit, nullus jam habiturus est oculos.

Non est quisquam (ut arbitrator) cui oculi remanebunt, quia non est inter mortales qui non concupiscit, aut scandalizatur, aut peccat. Homo, inculpaveris oculum ad gratiam tibi concessum, cujus beneficio lumen vides ? ornatus est capitis, speculum est membrorum, totiusque corporis fenestra gratissima ! Noli hunc inculpate quia cernit, sed inculpa quae cernit ; sed inculpa tibi ipsi, quia concupisti ! Erue, non oculum de capite, sed errorem de corde ; evalle, non aspectum corporum,

sed concupiscentie crimen: non est visum oculum delere, sed crimen evellere. Dexter fuit oculus quando tibi obduxit scandalum: hoc est quod dicit quando te inquinavit et polluit. Sed erue cum contraria fortitudine. Noli te vulnerare cogitare, sed ad vincendum te præcinge. Esto armiger poenitentiae, et protinus evertes peccatum. Dulce fuit vitium cum delectavit animam; sed fiat tibi nunc dulcior poenitudo, quæ non solum delectet, verum etiam nutriat animam. Concupisti malum, vicit te cupiditas, perpetrasti nefas! erit animus tuus dexter oculus, id est dulcedo peccati. Erue oculum istum, sinistro conspectu consertum, qui te non illuminat, sed contenebrat, et de dextro transfert te in sinistrum. Sed dicis: malum hoc quod asseris a me extirpandum, oculus iste nefandus, intus est! Non videtur in pectore, habetur in corde conscientiae fixus, quali arte valebo eum eruere qui nec manu contingi potest, nec digito erui aut evelli? Vis ostendam tibi manum, et digitum, et artem qua possit evelli? Quando percussisti pugnis humilem, induxisti in te peccati oculum, quando portexisti manum tuam ad sublevandum humilem, ad satiantium inopem, eruisti de corde tuo nequitiae oculum qui te scandalizavit. Vides quali manu, digitoque et arte noxius ille evellitur oculus qui de dextro dirigit in sinistrum? Dulcia sunt vitia dum in actu sunt, sed sunt protinus amara post actum. *Mel*, inquit, *stillat ex labiis meretricis* (*Prov. v*), et hoc dilice. Ad tempus quidem ungit gulam, impinguat fauces, novissime vero convertitur in amaritudinem felis; et quod fuit dulce ad tempus, fit amarum in fine. Festina igitur, et ne tardus existas ad corrigendum te de sinis ro in dextrum. Cecidisti per ceceum: contaminavit te aspectu suo? abluat te aqua sana. Induxit in te laqueum? eruat te de laqueo: habet enim in se magnum lacrymarum auxilium. Impulit te obscenis sordescere actibus, turpique mucrone caput abscidit, id est avaritia aut libidine? Age, tu exerce te contra talem oculum; erige te contra aspectum tuum, agita cordis tui venas quæ tendunt ad oculum, et dic illi: *Ocule, ad te recurro, tibi imputo!* exue quod implicasti. Tu me vulnerasti, tu me saeva; tu me polluisti, tu me purifica: abluo quod inquinasti, irrige quod elisisti, corripe quod evertisti, absolve quod per scandalum obligasti. Tu vidisti, ego concupivi; tu inspexisti et ego peccavi. Vidisti aurum, vidisti possessiones aliorum et prædia: cæcavit ambitio. Cœpi velle quod meum non erat, cœpi auferre aut argumento invadere aliena. Tali me scandalo obcæcasti. Quid dicam de feminea specie, quantum intuendo eam collapsa est anima, effeminata sunt viscera, et quasi concupiscentiae sagitta percussus de quodam præcipitio corruisti? Da modo liquorem tuum, et dele peccatum meum. Irriga me imbribus tuis? irruant aquæ tuæ et obruant crimina mea. Hæc loquere eum oculo tuo qui te scandalizavit. Præterea percipe te in futurum iudicium. Punge venam cordis tui poenitentiae stimulis, et de imo corde atque de intima mente educas aquam vivam in capite profluentem.

A Fiat caput tuum fons remissionis et fluvius indulgentiae; et exinde non solum per dexterum oculum, sed et per sinistrum gemini rivi currant, fluantque tibi ambo oculi pariter, sanitatis rorem ac indulgentiae imbrem. Vult enim indulgentissimus cognitor, ut sletus purget quod visus polluit, et quod sœdavit cupiditas, reformet compunctio: ut eruas de corde pestiferum oculum plangens et ingemiscens et dolens sicut dolens Jeremias propheta, cum populum plangeret transmigratum, sic dicens: *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum* (*Jer. ix*)? Et ille quidem populum deploravit captivum: tu autem ingemisce pro anima quam cupiditas violavit, et oculus dexter fecit degenerem. Sic eruendus est oculus, sic abscindenda est manus, vel noxia membra. Nam ubi avaritia, ibi manus dextra dentibus venenatis armata ut percutiat, ut affligat, ut auferat aliena. Ubi libido, ibi dexter oculus noxio aspectu armatus, qui modicum delectat et multum nocet. *Qui viderit* (inquit) *mulierem ad concupiscendum eam adulteravit eam in corde suo* (*Matth. v*). Vidit oculus, concupivit caro? peccavit anima. Flevit iterum oculus? abluta est caro, absoluta est anima. Avaritia infandum est vitium in hominibus: radix est una in præcordiis fixa ex qua pullulant omnia mala. Quid est avaritia? *Cupiditas radix omnium malorum* (*I Tim. vi*). De ista radice exsurgunt mendacia, oriuntur perjuria. Qui enim est aut detractor, aut emptor; qui lucri gratia habet de cupiditate tractatus, nonne plerumque pejerat, sæpe mentitur? sine hoc vitio negotiator aut rarus aut nullus est. Et quid dico negotiatorem, impostorem usum commerciis? Videamus quæ res facit prædones, aut unde erumpunt proditores. Nonne de avaritia prædo fuit rex Achab, quando per factionem dolosæ mulieris, falsa sub proditione justum trucidavit ut vineam ejus violentus invaderet? Avarus fuit et Judas cum proderet Christum Judæis (*Matth. xxvi*), cum acciperet ab eis triginta argenteos. Tolle avaritiam et non est discordia; aufer avaritiam, et solus amor regnat; desinat avaritia, et cessat ambitio. Tolle cupiditatem, et nemo dicit: hoc meum, aut hoc tuum. Fraus inde germinat, dolus inde consurgit, factio inde concinnatur: iræ quoque, insidiæque, homicidia, bella ipsa, sive publica, sive intestina, cupiditatis et avaritiæ fructus sunt; ut si quando vel armis vel argumentis, alter alterum vel superaverit vel truncaverit, res ejus velut victor diripiat suamque avaritiam suppleat. Et hoc est quod Scriptura testatur Apostolus, dicens: *Radix omnium malorum avaritia* (*I Tim. vi*). Disce diligenter quid sit in homine. Duas habet in se duorum malorum fixas radices; quibus repugnando intra vexatur et carpitur. Et quæ sunt istæ radices? Una est avaritia, et una est luxuria. Avaritiæ radix ubi est? In cupidine mentis. Luxuria ubi est? In voluntate membrorum. Cupiditas namque mentis in avaritia inardescens armat manus pedesque, et facit in his forense peccatum, et crimen extra corpus: radix vero luxuriæ, quæ succis membrorum nutriatur venarumque humoribus irrigatur, co-

igitur sa viscera in obscena cupiditate delinquere, et facere peccatum intestinum. Igitur est peccatum avaritiæ, et est peccatum luxuriæ in membris. Duo sunt in homine capitalia crimina: unum intus, et unum foris; unum in membris, et unum extra membra. Est peccatum luxuriæ in membris, et est peccatum avaritiæ extra membra. Et ut credas hoc ita esse quod dicitur, audi eundem Apostolum prosequentem: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (I Cor. vi). Sed dicis: si pedes currunt ad prædam, si manus diripiunt, quomodo potest abque corpore esse peccatum? Non est quidem dubium quod omne peccatum membris ministrantibus perpetratur: sed aliud est per membrum committere, et aliud in membra delinquere. Per membra enim quod committitur, in hoc animus delectatur; carnis autem voluptas hoc nec sentit nec recipit. Et ideo dictum est: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*; libidinis vero faces, ardentesque f. rias intra se continet caro, ex radice luxuriæ pullulantes. Dulcibus namque illecebris ad modicum excitatus vel expressus humor, trahit ad se ex imis viscerum venarumque medullis totius corporis voluptatem. Quod ubi Apostolus intentissime inspexit, absolute fluxit sententiam dicens: *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. Væ mihi! quid acturus sum, homo fragilis! qua virtute valebo tantæ atrocitati resistere! duorum in me consistentium venena qua forte possum vitare? Si radix avaritiæ (multiforme crimen) exulcerat animam; si radix luxuriæ ignitas ministrat libidinum faces, quibus viscerum medullas exurit, quid faciam? quæ virtus in me? aut quæ substantia mea? Vivunt in me duo serpentes pariter, avaritia et luxuria. Mordent semper, exulcerant jugiter, collidunt frequenter, et stare contra tales bestias propria virtute non possum. Si aquæ jam adminiculum non est, si Spiritus sanctus deest, quis me liberabit de corpore mortis hujus? quis me eruet ab hac nequitiae mole morsuque ferali? Homo, noli diffidere: res in promptu est, vita in manu est, virtus in voluntate est, victoria in arbitrio est. Si voluisti, vicisti; si nolueris, victus relinqueris. Qui vult vincere conatur ut vincat; qui desperat, amisit victoriam. Quid times cupiditatis crimen, vel avaritiæ facinus? Noli timere! Radix ista omnium malorum, id est avaritia, habet aquam propriam. Et aqua ista, quæ est, nisi eleemosyna? Non audisti quid scriptum est? *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata* (Eccli. iii). Magna hæc sententia, desinat querela, desinat dubitatio. Nam ubi eleemosyna, ibi aqua; et ubi aqua, ibi Spiritus: et ubi Spiritus, ibi remissio. Desinat desperatio: aqua, et ablutio, et remissio in eleemosyna largientis est. Ne differas abluere inquinatum corpus et animam fontibus eleemosynæ, ut redeas rursus in præmissi baptismatis formam: *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccata*. Tanquam si ita et dictum esset: sicut aqua exstinguit ignem ardentem, sic eleemosyna decerpit avaritiam: funera hominum-

que crimina vincula funesta dirumpit. Vidisti aquam eleemosynæ! Vis scire quod et luxuria et libido in aqua est? Peccatum corpus incestat, nunc aquam habet contrariam. Ubi? nonne in oculis? et merito de corpore. De oculis stillat aqua quæ totius corporis contractus dissolvit et abluit sceditatem. Nam sicut peccatum quod extra corpus est eleemosyna fulminat et exstinguit, sic vitium libidinis quod membra incestat lacrymarum ubertas extirpat. Ergo peccatum quod extra corpus est proprium habet fontem eleemosynæ, et flagitium quod intra corpus committitur suum habet fontem ex oculis profluentem: ut scias tu quia eleemosyna flammam avaritiæ restinguit, et libidine fuscata viscera profusis iterum fletibus albenit meritumque receptent. Sed quandiu verba inveni? Accipe evangelica documenta; accipe duos duorum criminum indices. Habes publicanum, habes et meretricem: publicanum in avaritia, meretricem in luxuria. Criminum præules facti sunt divinæ misericordie indices: vis scire quomodo isti duo vicerunt, et criminosa contagia evaserunt? Salvatus est publicanus: qua manu? nonne per eleemosynam? Recepta est meretrix: quo presidio? nonne per lacrymas? Sed causam replicemus. Agnitus, inquit, Dominus Jesus perambulavit in Jerico: et ecce vir nomine Zachæus (Luc. xix), homo peccator, avarus, dives ex rapinis, et hic quærebat videre Dominum Jesum, ut sciret qualis esset; nec poterat eum videre, turbatum obstirpatione seclusus; modicæ namque staturæ erat. Contigit invenire eum arborem sycomorum; ascendit festinus, et vidit. Quid vidit? Salvatorem sæculi. Bene festinavit, optime ascendit; quod avidus cupit videre Salvatorem, salutem ipsam quam ignorabat invenit. Et quid dicam vidit? ante visus est quam videret. Tranivit (inquit) Dominus Jesus, vidit illum, dixitque ei: *Zachæe, festina, descende, hodie namque in domo tua me manere oportet*. Domine, quid est hoc quod dicis? Nunquid non sunt fideles, quid ad talem hominem applicas? Publicanus est Zachæus: imo princeps publicanorum, peccator est et prædo; videre te voluit tantum: nunquid de sola visione jam debet salvari? Ascendit in arborem ut videret; si autem necdum vidit actusque necdum ingruit, nunquid confessus est maculam suam, aut flagitia replicavit? Nunquid flevit ante te, aut fecit eleemosynam in peccatis suis? est adhuc homo profanus; et dicis illi: *Hodie in domo tua me manere oportet*? vix adhuc vel videre te meruit, et jam angulos ejus visitas hospitiumque amplecteris! verum hoc officii tui est, et indulgentissimæ curæ, qui non venisti justos invitare, sed peccatores corrigere. Manes cum publicanis, manducas cum peccatoribus, jungeris cum injustis, ut hac societate quasi arte quadam eos convertas, et corrigas ad salutem. *Zachæe, descende*, inquit, *quia hodie apud te me manere oportet*. Et quid Zachæus? descendit confestim de arbore, jam verbo Domini emendatior. Aspectus enim emendavit prædonem; et solo sermone mutavit sensum ejus. Descendit, perniciter propeavit,

exultans paravit hospitium; suscepit vitæ præsumptum, et factus est filius Abrahæ. Mansit apud illum Christus, inspiravit illi ignem secretorum, ignem fidei, Spiritus sancti occultum ardorem, ut amore Dei et calore fidei flagrans, talia verba depromeret: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*. Audisti quid dixit? Ecce dimidium bonorum meorum dispergo pauperibus. Tanquam si ita diceret: modo vidi, modo cognovi. Salvator, non ex me, sed ex te facta est correctio mea; persensit prædas meas, pensavi actus pestiferos quos in avaritia perpetravi. Oro, obsecro, adjuva me miserum et peccatorem! Ecce ergo quod abstuli; reficio indigentes quos læsi, ecce vestio quos nudavi; et si quid alicui fraude abstuli, in quadruplo reddam. Vidisti largitionem raptoris? instat adhuc dicendo: Adesto, Domine; ego in quadruplo reddo quæ inique abstuli. Tu cura criminis, tu suscipe votum meum, et sana vulnera mea. Eruat eleemosyna, quæ obruit avaritia. Indignantur quidem, imputare conantur Domino cur ad peccatorem diverterit, et in domo publicani mansitare voluerit: sed quid Dominus ad eos? Nunquid vos ita? nolite sic de me sapere: an nescitis quoniam publicanorum sum et peccatorum salvator? Amen dico vobis quod hodie salus facta est domui Zachæi, quoniam et hic filius est Abrahæ. Salus illi facta est quoniam Salvatorem et vidit et cognovit, et recepit, et præceptum ejus implevit. Non audistis quid dixit? Dimidium substantiæ meæ do pauperibus, et si cui aliquid defraudavi, reddo quadruplo! Quid vos indignamini talem operarium? Tam mature conversum possum repellere, et non libenter recipere, et hunc despiciere tam cito translatum de malo in bonum, de præda ad palmam? Non vidisti quia publicanus factus est indigentium præsul et homo forensis meruit esse filius Abrahæ? Non meministi quia *Filius hominis venit quærere quod erraverat, salvare quod perierat* (Matt. xviii)? Aspiciate, publicani; intueamini, peccatores; pertendite, avari, fures, atque raptores. Videte exemplum Zachæi: inspiciate qualem invenit fontis venam aquarumque fluentia: quibus se per eleemosynam sponte perfudit, sordisque suas omnes in publica functione contractus destruxit. In Zachæo sententia illa absoluta processit: *Sicut aqua exstinguit ignem, eleemosyna purgat peccatum* (Eccli. iii). Pusillus corpore, factus est præclarus opere; flagitiosus conceptus felix subito de eleemosyna nascitur. Modicus ascendit arborem ut videretur a Christo, et vulgaretur in mundo. Arbor optabilis, satubri medicamine plena, quæ in solo aspectu subvenit peccatori, et sanctificavit profanum. Non talis inventa est arbor ista qualis illa principalis de qua dictum est, *qua die manducaveritis ex ea, mors notiamini* (Gen. iii). In ista serpens decepit simplices, in ista Salvator subvenit peccatori. Invenit et in Zachæum, ascendit in arborem anime tæ. Arbor est in te alta, fides tua, et specula excelsa. Sta in cacumine hujus arboris hujusque speculæ, ut valeas videre Deum Christumque transeuntem, sicut vidit

A Zachæus. Ille ascendit in arborem, quia non poterat videre præ turbis; te non turba hominum retinet, aut caterva excludit, sed habes inter vitiorum silvam et cogitationis catervas quæ mentem tuam obumbrant, et aspectum aporiant. Sed tu convelle de corde tuo silvam istam male umbrantem. Repelle noxias cogitationes, et conscientiæ strepitum. Relinque in animo tuo unam arborem limpidam fructiferam, crucis stigmata præferentem: in quam ascendens, videas et ipse Christum sicut vidit Zachæus, et dicat tibi: *Amen dico vobis quod salus hodie homini isti facta est, quoniam et hic filius est Abrahæ*. Compungere protinus in affectu verborum ejus, et concipe animo cum magna alacritate facere eleemosynam. Porridge modicum, et promerere multum. Eroga terrena, et exige sempiterna, sicut fecit Zachæus, qui dum terrenam dispergit substantiam, non solum congestam molem fontibus eleemosynæ diluit, sed et jam hæres regni cœlestis et filius Abrahæ esse promeruit. Vidisti elegantissimum documentum; vidisti Zachæum nefas avaritiæ eleemosynæ imbris expiantem. O quam singulare salutis compendium, erogare pauperibus, et ablui de peccatis! Eleemosyna subito conversum hominem de peccatis, non solum purificavit, sed etiam coronavit et fecit de publicano paradisi civem. Si suppleta est ratio, si cumulata est de stipendiis pauperum remissionis mensura: et sufficit tibi exemplum publicani qui miserabiles actus transacti temporis per eleemosynam quasi per flumen in indulgentiam traxit atque mundavit, seque avaritiæ laqueo per erogationem eripuit. Accipe nunc aliud pietatis exemplum in muliere meretrice propositum, ut possis evadere luxuriæ crimen et fornicationis captivam. Retine quod præmissimus, quia duo sunt in homine capitalia crimina, avaritia et luxuria, et docuimus quod avaritiæ crimen calcaverit publicanus. Audistis enim quia erogavit esurientibus, et evasit; pavit pauperes, et meruit esse quod non erat. Nunc de luxuria erit sermo in meretrice memoratus. Mulier, a te exigimus quod multis prosit. Meretrix, da nobis exemplum, ut sciamus quomodo stuprata membra tua non sunt a Deo despecta, sed magis recepta. Dic nobis, criminosa, quatenus effecta es casta! noli tacere, publicana, sed prode nobis beneficium Christi, et doce nos quo genere facta es de meretrice virgo. Audite causam, discite curam, quia princeps misericordiæ mirabilia fecit. Accepit meretricem, purgavit publicanum, clarificavit corruptam. Phariseus quidam nomine Simon Christum rogavit in domum suam; et paravit illi convivium, ut ederet apud illum. Ingressus, inquit, Dominus, dignanter discubuit. Et hoc quoque miranda humanitas, ut Deus in domo Pharisei et discumberet et ederet! Apud Zachæum mansit, apud Phariseum manducavit. Et hoc quare, nisi quia publicanorum erat et amicus et salvator? Sed discumbente illo, etiam edente in domo Pharisei, quid factum est? Ecce mulier peccatrix quæ erat in illa civitate, ubi cognovit quia intravit

Christus, et recubuit in domo Pharisæi, subito quasi A
meretrix audax intravit in domum, et attritam publi-
cis aspectibus frontem obtulit Salvatori. Audacter
intravit; non jam meretrix, sed modesta; non libi-
dinem expletura, sed lucem visura. Intravit non ad
libidinis formam, sed ad indulgentiæ fontem. Intra-
vit non ubi jam ultra sordesceret, sed ubi contractas
deponeret sordes et stuprata viscera D mino mise-
rante purgaret. Supergressa est a vita nec respexit
ad Pharisæum, sed recto limite direxit ad fontem,
pudore privata et pœnitentia armata. Et quid fecit?
contulit se ad pedes Christi in toto recumbentis:
stetit anxiosa; curatoque corpore, pedes Domini tetet
rea, et remedium elicit. Utitur, animo loquitur, tacet
et gemit silenter; ins at importune, pœnitentia stim-
mulata; subrigit ad cœlum animum, aspectumque B
desigit in terra. Illum solum videt quem tenet, illi
pandit peccatum suum, illi peccata detegit, et cri-
minosam reserat conscientiam. Cor suum supra
pedes ejus mistum cum fletibus fundit. Capillis etiam
mollibus lacrymis perfusus pedes quasi linteo quo-
dam detergit. Nec solum lacrymis abluere satis est
et crinibus tergere, insuper de alabastro quod in
manu tenebat unguento perfudit; ut pedes quos ri-
gaverat, unguento liniret. Atque in his tribus spe-
ciebus, immunda mulier, in lacrymis et capillis et
unguento, quasi fontem baptismi sui de pedibus
Christi extraxit. Nam in fonte baptismi quid aliud
est quam aquam, et chrisma, et vestis alba? Huic
mulieri pro aqua fletus fuit, pro chrismate unguen-
tum, pro veste capilli. O mulier peccatrix, multa C
adinventio tua! Quis tibi monstravit talem, aut inve-
nire aut proponere artem, ut congesta in te crimina
momentaneis lacrymis vinceres, crinibus raderes,
unguento stirpares? Quid ergo? *Intravit, inquit, mu-
lier peccatrix, cum alabastro unguenti, stetit juxta pe-
des Christi. Et quid Salvator? Nunquid ignorabat
eam? nunquid nesciebat quod esset publicana? hoc
nefas est dicere. Verum ubi vidit compunctam, jam
non repulit quasi publicanam aut sprevit importu-
nam; sed recepit dolentem, et amplectitur pœnitentem.
Non ei imputavit ut erat imputandum. Non ei
dixit Dominus: Meretrix, adultera, fornicaria, fluida,
tu venis ad me, tu proximasti, tu ausa es pedes
meos manibus pollutis contingere? non vides massam
malorum tuorum? calent adhuc in te crimina, mem-
bra tua fervorem libidinis spirant, corpus tuum eri-
minosis maculis plenum est! Animam ipsam intus
contaminationis tue funesta sarcina premit; et tu
tantis sceleribus depravata, ausa es venire ad me?
Non illi sic Christus nec imputavit, nec dixit. Qui
etsi dixi set, illa talis mulier parata erat sine dubio
contraria respondere. Si dixisset illi Christus: Im-
munda mulier, fœdissima, contaminata, cessa, a me
discede, nullam habeo cum meretricibus causam;
habuit illa respondere, ut hoc illi opponeret: Domine
rex cœlestis, Redemptor mundi, quæ sunt hæc? quid
descendisti de cœlo propter justos tantum? Et quanti
sunt justi? sic peccatores repudias? Ubi populus*

tuus, aut quos medicus venisti curare, nunquid sa-
nos? Absit! sanis non est opus medicus, sed mere-
tricibus opus est medicina. Publicani te pulsant, ut
curam accipiant: peccatoribus venisti porrigere ma-
num, elisos erigere, cæcis reddere visum. Medice,
non me repellas vulneratam, et si me repellis, ego
non recedo, sed jure meam de te exigo sanitatem,
quia sanare venisti saucios, non repellere. Teneo
pedes tuos, nec ante discedo quam percepero curam.
Omnipotens, suscipe importunam, et noli despiciere
pulsantem meretricem. Ecce pretium tibi offero pro
redemptione mea: porrige ad me aspectum tuum.
Et quid est quod offero? Indigens sum, inops sum,
nihil habeo in substantia præter lacrymas, et hoc
satis tibi est. Scio ego quod grata sit ista oblatio.
B Non quæris pecuniam, sed exigis pœnitentiam: nec
libamina tantum quæris, quantum lacrymis delecta-
ris. Sacrificium tibi est cor contribulatum, et spiritus
compunctus. Suscipe itaque pretium pœnitentiæ
meæ, et da mihi præmium indulgentiæ tuæ. Pastor
bone, dic mihi, quæso, nunquid non sum de ovibus
tuis? Sed erravi de grege, et facta sum sicut ovis
perdita: quære ancillam tuam, et fac me de mere-
trice pudicam! Noli me despiciere, non sum sola,
multas habeo compares, et quam maxima pars ovium
tuarum in me est. Pastor excelse, quære oves dis-
persas et scabie contractas. Collige eas in unum, et
imple ovile tuum. Tu namque dixisti: *Habeo et alias
oves quæ non sunt ex hoc ovili; has oportet me aggre-
gare ut fiat unus grex et unus pastor. Quæ sunt istæ
oves quæ non sunt de mandra tua? nunquid non
meretrices et publicani? nunquid peccatores, adul-
teri, et injusti? Cæterum si hos repudiaveris vel
excluseris, qui remanebunt qui impleant ovile tuum?*
C Prophetæ et apostoli, martyres, virgines et continen-
tes? Quanti sunt ad integrum populum! Si igitur præ-
scribitur peccatoribus, pauci intus, et multi foris
erunt. Sed quoniam redemptor es generalis, et pastor
communis, qui venisti non perdere sed salvare,
collige ex scabie corruptas oves, et dispersas redue
ad causas cœlestes. Fac de omnibus unum gregem
et esto omnibus unus (sicut promissisti) et Salvator et
Pastor. Obsecro te ego mulier ut indigna, et tacita
intra me prece deposco, sciens te esse errantium
medicum. Dolorem meum verbis ingemino, et actio-
nem meam secretis singultibus premo. Esto mihi ad-
vocatus: suscipe causam meam, et solve compedes
meos. Multum est quod merui tangere pedes tuos.
Ego fletibus pœnitentiæ perfundo pedes tuos. Tu
lumen indulgentiæ, dele crimina mea. Tango te,
Salvator, ego immunda mulier, et osculor pedes
tuos: non ut inquinem quod tango, sed ut abluar
ab eo quem tango. O meretrix, magna est fides tua,
mira conversatio, clara confessio! Non te jam dici-
mus meretricem, sed omnium meretricantium medi-
cam: de te enim capiunt multum recuperationis exem-
plum. Sed cœpti capituli ordinem replicem. Pharisæus
interea qui rogaverat Dominum, ubi vidit velut in-
dignam mulierem, ait intra se: *Hic si esset prophe-*

ta, non sineret hanc mulierem tangere se, cujus sciret infamiam. Illo sic intra se perpen lente et prosperum actum obscurare nitente, cogitatum ejus comprehendit Dominus, et detexit: *Simon, inquit, habeo tibi aliquid dicere. At ille respondit: Magister, dic. Fenerator aliquis duos habebat debitores; unus debebat quingentos denarios, alter quinquaginta: isti dum non haberent unde redderent, dimisit utrique. Dic, quæso, quis d' istis duobus diligere plus debuit? respondit Simon, et dixit: Quantum ego aestimo, ille cui plus donavit. Dixit ei Dominus: recte judicasti. Simon hospes Pharisæe, collige ad te parabolam istam; nescis quia propter te illam protuli? cur indignaris, cur venenum versas in pectore tuo? cur contra factum bonum subrigis caput serpentis? Indignum judicas me suscipere mulierem fornicariam lacrymarum fontibus inundantem: sed facis hoc quasi incredulus Pharisæus, dum non vis me esse aut credere Deum! Amice, fecisti rem bonam; parasti mihi convivium, et prandium exhibuisti: sed quid ad istam mulierem? Anima ejus plus est quam tua humanitas, amor ejus vicit tuum convivium. Non vidisti quid fecit? *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo non unxisti caput meum; hæc pedes meos unguento perfudit: propter quod dico tibi, remissa sunt illi infinita. Pharisæe, ex malo fermento indignaris. Angit te quod salvaverim peccatricem, et a peccatis absolverim: et quid hoc ad te? Mala intentio tua; nunquid non licet mihi facere in meis quod volo? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum (Matt. xx)? Sed, si tibi placet, collige ad te parabolam meam; aperi oculos tuos et vide. Tu fecisti convivium, et meretrix coronata est. Quare? quia multum dilexit, multum ploravit, multum pœnituit. Plus valuit apud me fletus meretricis quam tua fercula. Et inde duplo tibi prælata est fornicatrix; quando tu quinquaginta, illa quingentis compensata est nummis. Nec immerito de vobis prædictum est, *Quia meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei (Matth. xxi). Et conversus Dominus Jesus dixit ad mulierem: Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Ecce quomodo patuerunt proposita in duobus exemplis. Ecce quomodo crimina contrariis collisa sunt armis. Avaritiæ tela retrudit eleemosyna; luxuriæ crimina lacrymæ restrinxerunt. Feneravit publicanus, et factus est justus; flevit fornicaria, et facta est sancta. Quid tu ad hæc, libidinose, provocatus exemplis desperas? Forte dum duplices tibi ipsi; desine desperare, et discere quid agas.***

Quando vis orare pro luxuria quæ est in te, aut erogare aliquid pro peccatis, scio quia resistit tibi conscientia tua et revolvit tibi infinitum numerum peccatorum. Obstrepit tibi si'enter, dicens: Quid est quod oras, aut quid est quod erogas? Clades est intra te; scelerum te cumulus urget; et quanta est obsecratio tua, vel erogatio? Quando sic objurgat conscientia tua, tu noli terreri; sed opponere illi pu-

blicanum, objice meretricem, et dic: Cessa, conscientia; noli mihi obstrepere, noli obsistere. Est accessus ad Deum, et locus remeandi ad Christum.

Impius fuit publicanus, sed non desperavit: feneravit publicanus, et factus est intimus; flevit meretrix, et facta est felix. Ut quid me corripis, conscientia? Ut quid me confundis, et depravare contendis? Si Deus recipit, quis est qui rejicit? si Deus justificat, quis est qui condemnat? Christiane quid, tardas: publicanum vides antequam adhuc pœniteret receptum, et ambigis: quid metuis? Vitio libidinis quo corpus polluitur et membra maculantur, si toto animo gemueris, absolveris.

Homo, si cor tuum vides, vides uno momento per solas lacrymas ablutum, et dubitas? Sed dicis: Ecce compunctus oravi, aut flevi pro bis quæ male gessi; aliquatenus merui a Domino indulgentia absolvi; post hoc, ut est ipsa conditio, si rursus peccavero, quid facturus sum? Nunquid iterum flere debeo, aut indulgentiam flagitare? aut nunquid est adhuc repetere remedium? Respondeo tibi: si quidem radix peccati in membris tuis aresceret, vel ab animis tuis discederet, recte hoc diceres. Si enim stimulus carnis quiesceret, securus esses nec peccatum faceres, nec pœnitentiam quæreres; sed semper quasi angelus illibatus incederes. Quod si te naturalis concupiscentia urget et pungit libido, quid facturus es fragilis? Vinceris subinde, flecteris frequenter et facis aliquid quod Deus non vult.

Facis illud quod forte tu ipse horrecis, ut ait Apostolus: *Non quod volo ago, sed quod odi hoc facio (Rom. vii, 19)*. Quid nunc? ecce orasti, et annuit Dominus. Adjuvit pius, indulsit misericors, evasisti peccatum. Sed qui jam absolutus est a stimulo carnis, ecce iterum cogit conditio cadere post veniam impetratam, delinquere post indulgentiam, et post lacrymas iterum lapsus incurrere.

In hoc plane jam magnum intervenit odium, et inestimabilis difficultas. Conari quidem debes toto animo, et pugnare pertinaciter contra carnis stimulos et concupiscentiam cordis, ut vincas et non pecces. Sed si forte contra votum tuum conditio carnis vicerit, et cupiditas straverit in peccatum, quid facturus es? debes jam despiciere aut desperare salutem? Noli sic cogitare: surge iterum, homo, surge; noli timere, noli jacere. Est qui recipiat et qui te non despiciat, si surgis.

Mox ut surgis, mox ut te erigis, jam non errorem tuum Deus, sed animum respicit; nec peccatum computat, sed pœnitentiam pensat. Odit plane si te viderit negligentem, aut resolutum, aut pigrum, si te viderit non laborantem in pœnitentia, sed remanentem in crimine. Talis namque est Deus erga homines. Odit peccantem, amplectitur pœnitentem. Ergo cecidisti? noli dissidere aut differre, sed surge. Si per singulos dies erraveris, per singulos dies convertere, et emenda: hoc est enim quod a te exspectat et exigit Deus. Aut non audisti quomodo ejus vox resonat per Jeremiam prophetam? *Nunquid qui eadis*

non resurget? aut qui adversus est non revertetur? Hoc non de uno casu dicit, sed totius temporis lapsus testatur. Si enim contigerit sæpe cadere, plerumque delinquere, clamat ille semper et dicit: Surge, homo. Quid dicit? Nunquid qui cadit non resurget? Surge, peccator, et converte ad me, quia nolo mortem peccatoris. Quantum et quoties peccaverit, convertat se a via sua maligna, et vivet. Hoc ita dicit, ut non tu per multas ruinas ac si despectus, ac si desperatus deficias, sed subrigas te sollicitior, ac per singulos lapsus stes contra peccatum. Opponas illi lacrymas, objicias eleemosynam, interseras orationis exubias, ut pondus peccati, pœnitentis pondere obruas et evertas. Sic persistentem nunquam deserit divina clementia. In isto agone positus homo non per latam incedit viam, sed angusto itinere pergit. Latam plane tenet viam qui non vult resurgere de ruinis: angustam conficit semitam qui, quoties peccaverit, redarmatur, et plangit, et tenet semper pœnitentiam in via angusta quæ ducit ad vitam, huic dicitur sine dubio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

HOMILIA II.

De eleemosyna.

Fratres charissimi, omnis Scriptura divinitus inspirata et salubriter ordinata (ut ait Apostolus [1 Tim. iii]), utilis est ad audiendam, apta ad instruendum, necessaria ad retinendum, suavis ad perfruendum. Sed inter multa utilia et salutaria præcepta quæ scripta sunt in divinis paginis, nulla est alia tam efficax, tam valida et velox nostrorum vulnerum medicina, quam præceptum eleemosynæ. Siquidem eleemosyna non solum peccata purgat, et vulnera conscientie curat, sed etiam animam ipsam de morte revocat, regnorumque celestium facit esse consortem. Hujus præceptionis vel operis auctor est justissimus Tobias, cæcus corpore, et clarus opere; tentatus ad tempus, et non mortificatus; temporali aspectu paulisper privatus, et perpetuo bonorum operum lumine plenus. Ilis talibus monitis filium perstruebat: *Fili, de substantia tua fac eleemosynam, et ne avertas faciem tuam ab omni paupere, sic fiet ut a te non avertatur facies Dei (Tob. iv).* Tulit etiam scrupulum de animo trepide vel dubie largientis, ut sive de multo, sive de modico, quispiam largiri non desinat: *Fili, secundum quod tibi est facito: si largior est substantia, largius eroga; si modica, porrige modicum.* Et noli dubitare dum erogas, noli diffidere, dicens: ne forte non sufficiat nobis; sed esto lætus dum erogas, quia hilarem datorem diligit Deus. *Premium bonum thesaurizas tibi, quod de te subrigat in die necessitatis; quoniam eleemosyna de morte liberat, et non permittit intrare in tenebras:* præmium est vitæ perpetuæ. Probasti eleemosynæ efficaciam, vidisti admodum ac singulare solatium. Hæc namque si fuerit fideliter impertita, non solum peccatum evertit, sed etiam mortem extinguit. Quam validus est ignis quando ardet! et tamen validior est adhuc aqua quæ ignem extinguit. Quid igitur peccatum? ignis

habet vigorem; eleemosyna aquæ habet liquorem. Sic comparatum est. Stat materia contra materiam, stat aqua contra ignem, stat eleemosyna contra peccatum. Audistis quid scriptum est? *Sicut ignem ardentem extinguit aqua, sic eleemosyna extinguit peccata (Eccli. iii).* Homines cum simus in lubrica natura plerumque peccantes, non cesset anima justitiæ aqua exuberans. *Radix omnium malorum, quid est? Avaritia (1 Tim. vi).* Radix omnium bonorum quid est? Eleemosyna. Et qui nunc vulneratus es per avaritiam, cura te per eleemosynam. Mortuus es per avaritiam? vivifica te per eleemosynam. Exulcerata est peccatis anima tua? unge eam pietatis ac justitiæ opere. Audisti commonitionem justi? *Eleemosyna de morte liberat, et non permittit intrare in tenebras (Tob. xii).* Implicavit te cupiditas, habes multa piacula? Jaces avaritia præditus, depravatus luxuria? derogasti, blasphemasti, quia plurimis sæpe mentitus es, plerumque pejerasti? his nequitie partibus, aliisque similibus obruta est mens, convulsa est conscientia? quid modo? Nunquid desperandum est inter hæc? Non sic jubet Dominus. Sed quid præcipit? *Facite, inquit, eleemosynam, et sunt in vobis omnia munda (Luc. xi).* Noli temetipsum in talibus desperare; sed *declina a malo, et accelera facere bonum (Psal. xxxvi):* Deus te non despicit; et tu desperas? Errasti in avaritia? emenda te in eleemosyna. Polluit te immunditia? purificet justitia. Si enim ex animo erogaveris, non solum mundaberis peccato, sed etiam laudat te propheta justitiamque tuam prædicat, dicens: *Jucundus homo qui miseretur et fenerat; hic enim in sæculo non commovebitur. Quare? quia dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria (Psal. cxl).* Si sic sapit homo peccator, et intelligit sollicitus pro se; si alii indigentes et adjuvat miseros, addit illi propheta ampliorem laudem, dicens: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die malo liberabit eum Dominus (Psal. xl).* Nec liberat tantum, sed liberatum conservat, vivificat ac beatificat. Si justum invenerit eleemosyna, cumulat eum meritis; si peccatorem, absolvit a peccatis; si ægrotum, sublevat a doloribus. *Dominus (inquit) adjuvet eum super lectum doloris ejus (Ibid).* Quem? illum scilicet qui intelligit super egenum et pauperem. Hæc quæ diximus Davidica sunt. Ecce Salomonis adhuc validiora solatia; quæ misericordie medicina sovent ægrotantes, fulciunt titubantes. *Conclude (inquit) eleemosynam in ore pauperum, et ipsa exorabit pro te in die malo (Eccli. xxix).* Quid est hoc quod dicit? fiat apertum. Habes multarum offensionum et peccatorum congestam molem. Quam cum solus non potes ab animis tuis depellere, noli tædiari, adest auxilium. Si vis, prope sunt adjutores. Aperi oculos tuos, et respice in pauperes, ipsi enim sunt in tali opere adjutores. Eroga quantum valuerit manus tua: conclude eleemosynam in sinu pauperum, et ipsa te eruet. Fac eleemosynam, moles illa criminum quam timebas, momento minuitur et a conscientia labitur. Studiosus

agricola vicinos suos ad opus plerumque invitat, ut agris suis vineis tempore opportuno adhibeat competentem culturam: ne si neglexerit, dum solus non evincit aut prævalet, aut ager spinis sordescat, aut vinea sarmentis silvescat. Ille adjuutores sibi adjungit operarios, et multiplicat in terrena cultura, et tu agrum cordis tui vineamque animi, dum solus colere vis, relinquis desertam? Homo, adverte quod dicitur. Spiritualis est ista, non carnalis cultura. De eleemosyna conduc operarios. Quos? cæcos, claudos, debiles, et alios his similes. Hi sunt operarii parva mercede conducti; qui purgant agrum cordis tui, et renovant vineam, ut fiant in te (per culturam eleemosynæ) et ager frugifer, et fructifera vinea. Conclude eleemosynam in ore pauperum, etc. Dies malus vel malorum quis est, nisi dies iudicii, dies terribilis futuri examinis. Provide tibi, homo; compone vineas tuas, colloca te hic in ore pauperum. Conclude eleemosynam tuam in esurientium victu, ut dies ille tremendus non tibi in metu veniat, sed in voto. Ille namque dies properat qui strictis hominibus amarus emergit, misericordibus vero optabilis est et affabilis. Conclude eleemosynam in ore pauperum, et ipsa exorabit pro te in die malorum. Tu taces, et eleemosyna quam fecisti deprecatur pro te. Quod in silentio fecisti, in ore pauperum publicatur. Bonum quod latenter fecisti, in lingua indigentium prædicatur. Remissio delictorum tuorum in ore eorum resultat. Conclude eleemosynam in ore pauperum, et ipsa pro te mitigat iram Dei. Mitigat iram, dum abluit crimina; os pauperum corrigitur tibi in baptisma, et venter esurientium satiatus indulgentiæ tibi aquam exundat. Parum est quod eis impartitur, et multum est quod ab eis nascitur. Hortatur ipse Dominus per prophetam: *Frangere esurienti panem tuum (Isai. LVIII)*. Quid pro hoc recepturus? accipe evangelicam sponsonem: *Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum paratum vobis ab origine mundi (Matth. xxv)*. Quare? non quia superbi aut divites fuistis, aut potentes in mundo prædiis; sed quia *esurivi, et dedistis mihi manducare*. O commutatio! Panem dedisti esurienti, et percepisti regnum. Quantam pecuniam profudit homo in hoc mundo, ut aut mancipia aut prædæm comparet! Regnum supernum tibi vendit Christus tam vilissimo pretio, et comparare dissimulas! Noli diffidere: frange esurienti panem tuum, nutri indigentem, vesti nudum, fove peregrinum, et posside regnum, non terrenum, sed supernum. Clamat Pater de præcedente volumine: *Frangere esurienti panem tuum*: respondet et Filius de evangelica pagina, *esurivi, et dedistis mihi manducare*. Concordat sibi uterque sonus. Quod Pater anticipavit in prophetis, hoc Filius in sua persona susceptum implevit. Factus est pauper, ut tam pauperes foveret quam divites commoveret. Factus est pauper, ut culpas divitum in pauperibus emendaret, et vitia eorum in eleemosynis expiaret. Ob hoc dicet: *Esurivi, et dedistis mihi manducare*: et quia me refecistis, recipite e contrario regnum. Quare regnum? In regno justo quod Chri-

stus donat, quod est paradisos. Et in paradiso quid est? Lignum vitæ. Et in ligno vitæ quid? Manna absconditum. Hoc ipse Dominus in alia scriptura promittit: *Vincenti dabo lignum vitæ, et manna absconditum quod est in paradiso Dei (Apoc. II)*. Qui sunt autem victuri, quam illi quibus dixit: *Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum paratum vobis ab origine mundi: esurivi, et dedistis mihi manducare; sitiivi, et dedistis mihi bibere; nudus fui, et dedistis mihi indumentum*? Ecce palma et præmia. Pro pane modico quem dedisti, accepisti manna absconditum: potum porrexisti, et paradisos recepisti. Si ergo *videris usurientem, frange illi panem tuum (Isai. LVI)*; si *videris nudum, da illi vestimentum*; et hoc cum feceris, non donas, sed debitum solvis. Quid jubet Dominus? *Si videris (inquit) nudum, vesti, et hoc tu cum senore facis. Qui jubet te hoc facere, tibi vult mederi, et vicem tibi rependit ille qui utrumque rependit. Videt enim ille in paupere quidem corporis nuditatem, in te autem animi scditatem. Ergo si videris nudum, vesti. Et quando illum texeris, ornasti animam tuam, peccato spoliante nudatam. Tu illum texisti corporea tunica, ille de te expulit scditatem. Mox veste tua cum texeris viscera indigentium, reformat ille in te baptismatis vestem, et retextit tunicam quam acceperas ex aqua et spiritu. Non enim potest homo munera lavacri illibata servare, nec purus semper persistere, noxia sibi incumbente natura. Verum cum sæpissime lubricus incedat, et offensas incurrat, opera faciunt indulgentiam, poenitentia reformat puritatem, oratio præstat abolere remissionis fontem. Lacrymæ abluunt fuscam tunicam; eleemosyna reddit candorem. Hæc exercens erit tibi intra te quotidiana oblatio, quotidiana remissio. Ille est fons refrigerii; ille est remissio tuorum criminum, qui dixit tibi: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; nudus fui, et dedistis mihi indumentum*. Noli tu intendere mendicum aut peregrinum, captivum aut nudum; sed Christum, qui in his loquitur, contemplare. An non audisti quid ait: *Quandiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis*? Sed dicis: *Christus Dei Filius qui in pauperibus pascitur, cur non magis ipse opulentat inopes, exaltat humiles, erigit indigentes, cum ipse sit omnium provisor et largitor*? Qui hoc opponit, audiat e diverso. Forte aestimas, homo, esse illi aliquid impossibile? Non aestimes, homo; sed audi quid est. Si enim omnes homines fecisset æquales, ubi erat fidei exercitium, ubi experimentum virtutis? Si fecisset omnes divites, omnes licenter delinquentes. Et si ita esset, unde veniret remedium, aut unde maneret remissio? unde erat indulgentia expectanda? Providentia ergo divina aperuit nobis peccantibus medicinæ armarium, ut faceret (sicut scriptum est) et divites et pauperes, et humiles et excelsos: ut quoniam divites per exuberantiam rerum proci sunt ad vitia, ac per intemperantiam plerumque labuntur, haberent conjunctos sibi indigentes, velut fontem lavacri: aut (ut plus dicam) velut flumen Jordanis, ubi Christus tinctus est. in quo per eleo-*

mesynæ largitatem diurna superent delicta. Et quidem in Jordane semel tinctus sanctificavit aquas : in pauperibus autem semper manet, et assidue abluit crimina largientium. Dedit itaque Christus nobis velut indulgentiæ indices. Quos? cæcos, claudos, debiles, paralyticos; quin etiam orphanos et viduas, peregrinos, proselytos et advenas, atque hujusmodi homines omni auxilio indigentes; ut in his, quicunque sunt opulentiores, pium prætendant affectum: floctantur faciles ad ægra ac debilia corpora, animasque vexatas; faciant sibi tales amicos (juxta evangelicam doctrinam) de infideli mammona (id est de brevibus rebus), ut cum defecerint hic, *recipiant eos in æterna tabernacula* (Luc. xvi). Et idcirco, divites, nolite despiciere inopes, nolite respuere indigentes, scientes quod amici sunt animarum et medici vulnerum internorum. Ager est juxta te; sparge semen tempore competenti, et esto fidus, quia non te fallit ista cultura. Hic seris, et alibi metes; spargis modicum, et colliges multum. Quidquid dederis colligitur ibi in superno cellario: quidquid porrexeris proficit in futuro. Nunquid non potest Christus ditare mendicum? nunquid non valet modo illuminare cæcum, curare claudum, stringere paralyticum, mundare leprosum? valet quidem, sed dissimulat in te; ut per hos aliorum debilitates excludat, et ægrotudines effugiat. Nam cum sint debiles, fiunt tamen delinquentium medici: non ipsi, sed ille qui dixit, *quandiu fecistis his, mihi fecistis*. Christus est in eis medicus, qui per eos sanat divitum delinquentium vulnera; ut cum tempus expectatum venerit, et pauperes suos exaltet in gloria, et divites justis operibus deditos recipiat (sicut dixi) in æterna hospitia. Unde (fratres dilectissimi et optandi amici) retinete hæc, et super hæc adhuc discite alia. Necdum enim patuit mea doctrina: replicanda est evangelica forma, ut inde pandamus quod perfectum est; eleemosynæ perfectionis typum nondum ostendimus. Typum eleemosynæ suis præceptis decrevit Salvator: *Attendite* (inquit) *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Si mercedem speratis cælestem, humanum debetis declinare aspectum. Sufficit illum videre opus in secreto, qui operæ pretium reddit in publico. Quid quæris, hominem scire quod Deo reservas? aut quid opus est homini videre quod Deus remunerat? Sufficit conscientia tua, habes testem operis tui. In te patet illi quod latet homini. Si plaudis, non places: si hominibus placere vis, displices illi qui docuit. Si displices, minorasti justitiam, vulnerasti gratiam, violasti mercedem. Denique sic subjungit idem doctor: *Si hominibus placere vultis, mercedem non habebitis apud Patrem cælestem*. In simili negotio etiam pronuntiavit Apostolus: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*. Cum igitur facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sed tace, et supprime intra te factum tuum. Noli tibicinare, ne vulneres opus tuum: noli prodere quod fecisti. Operæ pretium perdidisti, si laudari ab hominibus voluisti. Sufficit tibi hoc; habes mercedem tuam. Tales ho-

A mines hypocritas appellavit sermo divinus. Sic, inquit, faciunt hypocritæ in synagogis et in vicis. Erogant publice, ut publice præferantur, non a Deo, sed ab hominibus. Dedit itaque Dominus pulchram ac verecundam operis formam, quando tales prohibet imitari, et jubet in silentio operari. Et quid dico in silentio? nunquid quando facis eleemosynam aut opus aliquod gratum, potest latere? absit. Nam te tace, ipsa opera clamant et publicant factum tuum: te enim ignorante, præferunt multi justitiam tuam, et eleemosynam prædicant. Geminatur tibi gratia, quia silenter egisti. Ab hominibus accipis plenam laudem, quia tacuisti a Deo perfectam mercedem; quia quod jussit fecisti. Quid jussit aut quid præcepit? ut non tuba caneres ante te: id est, ut non ipse præferas, sed alii. Nam et fructifera arbor non loquitur quidem, et tamen ex fructu cognoscitur. Et apes quando cerarum cellas intexunt, quando mel conficiunt et dulci distendunt nectare favos, non in publico opus exercent, sed sub vili cortice clusæ laborant, et inde postmodum gratia dulcoris erumpit in publico; nec immerito dictum est quia *brevis in volatilibus avis* (Eccli. xi), et tamen primatum dulcoris habet fructus ejus. Retine ergo præceptum modicum: Fac eleemosynam, absconde penes te. Sit intra te cella tua, ut quod tu tegis ab aliis prædicetur et tunc remunerabitur a Christo qui dicit: *Quando facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (Matth. vi). Discutiendus sermo, requirenda sententia. Quid est hoc? nunquid dispar est homo intra se in uno corpore, ut sit alter in dextera, alter in sinistra? absit! Idem homo est qui habet et dextram et sinistram. Et quomodo potest fieri, ut ignoret sinistra quid faciat dextera? nam etsi manus duæ sunt in corpore, dextera lævaque, sed animus unus est in homine, qui legit utrumque latus in dextera et sinistra. Liqueat igitur et non est ambiguum, quod in hoc præcepto altius aliquid introducit et sublimius intelligitur. Duplex est plane homo intra se. Et cum sit unus, divisus est tamen in dextera et sinistra. Divisus? quomodo? non animo, sed opere; non mente, sed moribus. Habetque bonum et malum: bonum in dextera, malum in sinistra. Præcipit Dominus, *nesciat sinistra quid faciat dextera*: quod a nobis sic intelligi solet tanquam si ita dictum sit: Sinistra tacit malum; non illi consentiat dextera; id est, si corpus tuum delinquere cogit, non illi assentiat anima. Quid est in homine dextera? nonne pars animæ? quid est sinistra? nonne pars corporis? Disce quid introducit: *nesciat sinistra quid faciat dextera*. Nunquid quando bonum geritur caro ignorat, aut quando malum facit caro, anima nescit? non est ita. Aliter intellige de sinistra et dextera. Tale est, quod dicit: Quando bonum aliquid conatur facere dextera, id est anima, non illam impediatur sinistra, quæ est caro; sed tanquam dormiente sinistra festinet dextera furtivo more operari bonum, et expellere malum de membris, quod dicitur sinisterum: hic est sensus, et hic est intellectus dextræ et sinistræ. Exponatur apertius, et luceat sermo in

opere. Sinistra tua, id est caro, erravit? dextra, quod est anima, emenda errorem. Potuit enim in homine dextrum fieri utrumque latus, sed ideo dispar factus est in utroque, ut tam boni quam mali in se fermentum retineret. Boni fermentum in dextra, mali in sinistra; quod sic distingui potest: sinistra tua induxit te in peccatum? dextra tua eruat te de peccato. Sinistra peccavit in aspectu? dextra propitiet in secreto. Sinistra fecit prædæ? dextra faciat eleemosynam. Quod illa fecit imprudenter, hæc emendet silenter. Sinistra rapuit vestitum? dextra vestiatur nudos. Illa percussit crudeliter? ista subleuet et sanat humiliter. Illa congegessit impietatem? ista sit plena pietate. Illa impressit vulnera? ista imponat medicinam et adhibeat curam. Reatus est in sinistra? remissio sit in dextra. Malum quod sinistra ingessit, dextra repellat; venenum illius ista extinguat. Et quid plura? ignis est in sinistra, et est aqua in dextra. Quando flagrat in sinistra ignis peccati, pluat in dextra justitiæ aqua, et nihil est tunc quod noceat. Dum implet illud quod dictum est, *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit crimina* (Eccli. iii). Illic manifestum est, quia nec peccatum desinit in homine, nec fons, nec remissio deficit unquam. Sed divisus homo in sinistra et dextra; ipse sui arbiter est, aut perdit, aut invenit: quid tu ad hæc? times forte ne sinistra superet? Noli vereri: plus valet, si voluerit dextra. Et si inimica est sinistra quæ damnat, sed amica est dextra quæ salvat. Et si illa inquinat, protinus ista sanctificat. Validior est aqua in dextra quam ignis in sinistra. Nam exuberaverit illa, mox istius damna subigitur. Scito itaque quia etsi flamma est delicti in corpore, sed fons est divinus in corde: flammam membra ministrant, fontem mens exprimat. Sic fiet ut quod inquinaverit sinistra, sanctificet dextra. Sinistra diurnum habet inquinamentum, et dextra diurnam habet absolutionem; ut qui d pollutur in sinistra, purificetur in dextra. Homo sapiens intelligit hæc. Esto providus, esto proflcus sanctis; quoniam continuo venturus est supernus iudex discutere actus servorum suorum, et nudare secreta. Sanctis quomodo feneratur cælestis, venit erogatam pecuniam exigere cum usuris. Et quæ est ista pecunia, quam evangelica observantia? verba sunt vitæ seminata. Venit sator ille seminis sui colligere fructus, pecuniæque suæ exigere pensas. Si fecisti quod mandatum est, tibi dicit: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (Matth. xxv). Vis scire qualis quantusque sit iste qui venit? par est trinæ virtutis, princeps est angelorum, imperator est supernæ militiæ, Dominus est cælorum, gubernator est terrarum; super cherubin sedet, et abyssi profunda rimatur. Qui carne vestitus, fecit quædam remissionem generalem in baptisate, in aqua et Spiritu; sed venturus est nunc exigere debitum, non illud quod prius indulisit, sed quod post lavacrum aquæ ab unoquoque contractum est, et non est poenitudine deletum. Habet iudex iste in manu

A sua stateram in qua perpendit inter duo pondera, unum meriti, et unum peccati. Prævide te, homo: senti pondus tuum, antequam veniens ille in sua statera te suspendat. Considera statum tuum, et esto tibi ipse statera. Sat tibi de corpore tuo statera. Due manus tuæ, duo sunt calculi hinc atque inde in statera pendentes. Vides quomodo ipse tibi es statera? perpende cor tuum et conscientiam. Perpende animam tuam membraque ipsa in statera, prius quam divinum examen incurras; sit animus tuus arbiter factorum tuorum, ponderumque inspector tuorum. Inspice diligenter quid tenet dextra, aut quid gerit sinistra. Habes scilicet malum in sinistra conditum, meritum in dextra collectum. Vide quid plus est in opere tuo, aut quæ pars in actibus tuis exuberat; sinistra an dextra; et vult te collidere. Noli cedere, quia scriptum est tibi: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (Rom. xii). Molesta tibi est sinistra, et quærit te subdere. Intrat opportune, vexat te vehementer, collidit frequenter, et capit jugiter; pravo pondere urget animam, et morsus ferales infligit, dentes in te concupiscentiæ carnalis infligit, internaque latera tua vitiorum suorum unguibus sulcat. Quando videris tu quod pars ista inimica concrevit in malo, armisque hostilibus stipata sinistra quærit te expugnare, castraque pectoris tui conatur evellere; tu noli terreri, sed redi in sensum tuum, et ibi invenies adiutorem Deum. Si tamen illum times et futurum ejus iudicium reformida: in hoc loco, in isto certamine non ignoret sinistra, sed sciat magis quid faciat dextera tua. Sciat quod ignorat; advertente diligenter quando strepit sinistra in malis: id est quando multiplicat caro partes adversas contra virtutem animæ, et exaggerat crimina. Stet dextera tua obnoxia contra partes pestilentiæ, contra arma hostilia, contra effeminata vitia, contra peccata et crimina; stet dextera tua armata, id est, fides robusta, spes, stabilitas amore copulata. Obducatur scutum fidei, inducat lorica spei, objiciat justitiæ hastam, intendat orationis arcum, erigat eleemosynæ tropæum; et confestim non solum cedit per adversa, sed etiam cadit elisa. Jacet in vulnere et succumbit victoriæ. Quæ diximus, evidentius repetamus. Hostiliter te stimulavit caro? strinxit conditio, ut delinqueres? peccasti? crebro offendisti? pressa est mens horrore? tristis est anima usque ad mortem? Superfluit mensura criminum in sinistra, claudicat in scientia, nutat statera tua, et dextera tua lance suspensa totum pondus divergit in sinistram? Cum videris, dic ad animam tuam: Anima, ubi es? quid actura es inter hæc? quare non clamitas? malum vides imminere, et taces? cur non vigilas? mortem cernis incumbere, et tu non aspicias? ubi resides pigra? ubi jaces resupinata? dextera tua dormitat, et non illam excitas? pateris ut te vincat sinistra, et portionem tuam jungas cum perituris? quid factura es, superata a carne, cum cœperis cum ipsa experiri supplicia? sinistra satagit, et debet dormire dextera? ibi plena est mensura, et hic debet existere vacua? sinistra valet in

vitiiis, cur non magis dextera in virtutibus viget? cur non magis minuitur ibi peccatum, et hic additur meritum? quare non liquescit nequitia, et augescit justitia? Judicium Dei vides imminere, et stupes? thronus tremendi judicis in flammeis ardet rotis (*Dan. vii*), ut Daniel ait, et non trepidas? fluvius currit flammeus, qui globos flammaram volvit, et tu soluta jaces? an nescis quod fluvius iste peccatoribus permeat, et non in poenitentibus murmurat? Non audisti quid annuntiat Isaias: *Ecce dies Domini insanabilis, venit dies iræ et indignationis ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo (Isai. xiv)*. Plange tua scelera; corripit te confestim, et transfer te de sinistra ad dextram. Non est ambiguum, aperte sonuit quia Deus peccatores exterminat. Peccatores dixi: tu, si poenitentiam egeris, jam non te perdit, sed protegit. Si compunctus fueris a peccatis, jam non te damnat. Minaci quidem voce et terribili tuba testificatur propheta, dicens: *Ecce dies Domini insanabilis venit ponere orbem terræ desertum, et peccatores perdere ex eo*. Verum non ideo Deus minatur ut perdat, sed testificatur ut corrigat, increpat ut componat, objurgat ut eripiat: insurgit, non perimentis metu, sed miserantis affectu. Cæterum si percutiat urbem et perdat peccatores, ubi populus integer quem sibi acquisivit sanguine suo, et passione redemit? Sed dicis: Ostende mihi, quæso, quo tenore possum exonerare sinistram, et cumulare dextram. Hoc quod interrogas non est incognitum. Nunquid latet aspectum tuum, aut ars est quam nescis? ubi videris quia dominatur tibi lex peccati, imperant vitia, crescent crimina, omnis sarcina declinat in latus sinistrum, noli cedere atque quiescere, sed incita temetipsum; recurre ad arma contraria, et præcinge te in dextera tua, implens illud quod cecinit David psalmista: *Accingere, inquit, gladio tuo, quem vicit sinistra, quem superavit segnitia, quem stravit nequitia; accingere gladio tuo circa femur, potentissime. Qualem gladium? specie tua et pulchritudine tua*. Tibi hoc dicit, qui criminibus cedis; ad te loquitur, qui criminibus vinceris! Te commonet et compungit, peccator! vicit te pars sinistra, percipiet te in factum tuum. Plora compunctus, ut possis recipere speciem cordis tui, et pulchritudinem corporis. Quid vult esse? errasti in lumbis? offendisti in femore? manifestum est quia ubi lumbus, ibi libido, et ubi femur, ibi fornicatio. Quid ergo? scedasti femur tuum carnali libidine? reforma illud pulchritudine spiritali. Stuprasti lumbos tuos in fornicatione? noli distidere, sed extrue bellum contra sinistram et contra corporeum peccatum, contra suprum vel adulterium. Femur te scedavit? femur te reformet atque recuperet. Accingere, inquit, gladio circa femur, potentissime. Te corripit sermo propheticus, quia peccasti. Fuisi profusus in libidine? esto potentissimus in virtute. Laxasti membra tua in luxuria? restringe vivacitate armorum. Arma lumbos cordis tui, orna femur anime tuæ, ut corporei femoris eximas sceditatem, evellesque de visceribus tuis plagas. Accingere gladio tuo

A circa femur tuum, potentissime. Quis est iste gladius? Ipse dicit, *specie tua et pulchritudine tua*. Et quæ est ista species, quam virtus animi, et in ea, plena poenitudo? quæve est pulchritudo, quam lacrymæ oculorum, et largitas eleemosynæ? Et quid deinde? *Intende, inquit, prospere procede et regna*. Aperta sententia est. *Intende, peccator, quia peccasti; prospere, quia poenituisti; procede et regna, quia triumphasti. Procede confidenter, quia plorasti pro peccato; viciisti reatum ut pervenires ad regnum, procede et regna*. Plange hic, ut plaudas alibi. *Procede, inquit, et regna*. Propter quid? *propter veritatem et mansuetudinem et justitiam*. Quando sinistra infert et ingerit tibi candentes stimulos avaritiæ, luxuriæ, arrogantiae vel libidinis, sta contra sinistram tuam, succinctus veritate, armatus mansuetudine, ornatus justitia, et cum viceris sinistram, tunc *educet te mirabiliter dextera tua*. Tunc vincit dextera et silet sinistra, cum fugit impietas, et floret rediviva pietas; cadunt crimina, et crescunt merita. Quidquid malum minuit in sinistra, meritum augescit in dextera. Sic te agente, *deducet te mirabiliter dextera tua*, juxta verbum Davidicum. Subduc pondus ex adverso latere, remove plagas de sinistra, ut in die judicii deducat te mirabiliter dextera tua. Imple mensuram justitiæ; quomodo? orando, vigilando, lacrymando, erogando, jejunando: quin etiam parcimoniis pulsando, negligendo delicias, et nutriendo disciplinam; fugiendo festivas dapes, et frugalitatem ferendo; deponendo pinguedinem, et diligendo pallorem. Quando statutam exerces virtutem, exultat dextera tua, et latet sinistra: deficiente enim nequitiae sarcina in sinistra, sanctificatio dexterae tuæ præponderat, et ipsa te deducet mirabiliter in salutem. Unde, frater charissime, non lædium superet, non subducat ignavia; non inter spem et metum alternis motibus æstuantem desperatio frigida perfundat, sed magis concallescat cor tuum dum dubitas, ferveat spiritus tuus in te cum anceps inter utrumque laboras, id est, ut inter spem et metum meditatione tua exardescat ignis. Erige te in calore cordis tui, et, in zelo pectoris concitatus, abutere dextera tua, et æmulare sinistrant, dicens ei: Quid mihi et tibi est, sinistra? desine, cessa, conquiesce; noli mihi suadere ut errem; noli me subdere, ut offendam. Cur implicatum tenes, et non permittis exsolvi? noli me capere saporibus tuis, qui brevi tempore dulces et postmodum semper amari: tales sunt saporibus tuis, qualia dormientium somnia. *Surrexerunt e somno, et ob'iti sunt quæ viderunt*; sic tuus sapor, sic tua delectatio: in delictis parum inungit fauces, et postmodum urit animam delectatio tua. O sinistra! dolores facis prolixos, nisi fueris repressa, dulce tuum fit amarum; savus tuus in fel convertitur. An non audisti sententiam Salomonis, qui dixit: *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus; perversæ autem sunt quæ a sinistris (Prov. iv, 27)*? Nescis tu quia *angusta via est quæ ducit ad vitam*? Cur me frangis et flectis ad latam? Cur me ducis ad spatiosam viam quæ mihi aperit

fauces inferni, in quibus picea flamma ardet, et pœnalis caligo exæstuat? Sinistra pars tua planctum ingeminat, provisio tua tartareas habet tenebras. Cellarium tuum corruptas habet species; thesauri tui liquidis ardoribus pleni sunt. Aspice est in opere tuo, antiquissimus ille serpens hydra, multorumque spirans venenorum. Ut spargit pestem auctor scelerum, nequitiae armiger! Sinistra in parte tua, scandala quibus dictum est: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus.* Ignis ardebit in parte tua, diabole, aspice antique, auctor nequitiae: tibi præparatus est ignis et angelis tuis; quid hoc ad homines pertinet? Sinistra tua nihil valet. Nihil valet pars sinistra; corrigunt se homines a peccatis, et vivunt. Desinunt delinquere, et carent doloribus; renuntiant tibi, et regnant cum Christo; remansisti solus cum angelis tuis. Diabole, quid regis sinistram partem? ad te corrigo, verbum tibi imputo, te castigo: quid gloriaris de parte sinistra? flamma illa gehennæ tibi, non hominibus flagrat; camini tartarei tibi sunt præparati et angelis tuis.

Quare? quia adversarius Dei es, semper erras, et nunquam emendas; semper impius et seductor, semper prodigus et profanus; atrox in malis, et inimicus in bonis; et quia nunquam te pœnitentem, ideo periturus. Quid hoc ad hominem pœnitentem, suaque peccata confitentem? plus est pœnitentia quam tua pestilentia. Plus sunt lacrymæ hominum, quam tui insidiosissimi laquei. Amplius est eleemosyna quam tua inquinamenta. Sollicitudo solvit peccata, vigilantia vincit nequitiam, compunctio eradicat crimina. Inimice diabole, fallax, quid fingis terrorem? parum est, quod vereor donec convertar ad Christum, qui me salvavit. Video peccata mea, et pauca considero commissa mea; et horresco donec convertar ad Dominum. Stant ante me facinora mea quasi turris ferrea ac murus æreus, donec memetipsum videam, et donec sitiens amplectar Christum indulgentiæ fontem, teneamque pedes ejus qui dixit: *Nolo mortem peccatoris, quantum convertat se a via sua mala, et vivat.* Si hoc fecero; murus æreus momento collabitur, turris ferrea fulminata dispergitur. Aries enim pœnitentiæ subvertit peccata et subruit crimina. Cadent ante fletum pœnitentis, quasi caduca folia a vento concussa, aut quasi plumæ volitantes vento impulsæ. Adest Dominus oranti, præsto est excubanti erogantique Christus, protector excelsus, munificus atque liberalis indultor; et tota illa peccatorum sarcina quam verebaris, ut cera liquecit, ut fumus fugatur, ut vapor exinanitur, aut quasi lanugo combusta deperit. Postquam sic castigaveris sinistras partes, et cum eisdem partibus ipsum diabolum prostraveris, converte te ad dexteram, et loquere illi, multiplicans ad eam exhortatoria verba, sic dicens: *Dextera mea Deo sacrata, salvatrix animæ meæ, firmatrix cordis, munimen corporis, tu noli dormi-*

* In Ms. legitur titulus hoc modo: *Incipit liber primus sancti Laurentii episcopi de muliere Chananaea.*

re, sed vigila. Opus tuum dulce est, actio tua melliflua est, vigilantia tua vivificat. Expande te ad preces pariter cum sinistra; erige te ad superna subsidia. Commove venas tuas, et conquire remedia, confunde inimicum, et contere peccati ministrum. Quomodo eum confundis, aut quo itinere conteris, nisi in opere Dei, in observatione evangelica, in ordinatione disciplinæ, in ordinatione largitatis? Dextra, fac opus justitiæ: respice famelicos, vesti nudos, visita ægrotos, suscipe peregrinos, solve compeditos, fove captivos, consolare compunctos: si sic feceris, eruisti me de mœrore, liberasti de muscipula. O dextra, non vides? sævit sinistra, et supplicia congerit? sinistra te vincit, et dormis! serpens te mordet, et duras non vides partes adversas turbatas, et insurgentes turbines? venti spirant adversi, mare insurgit super te, peccati pelagus urget animam tuam, strident in membris tuis iniquitatum procellæ; et non excitaris, sed negligis! non stimularis, sed torpes! Dextera gubernatrix, sta in puppe, et dirige proram: extende vela, arma navem. Ecce pericula imminet, ecce scopuli ante te, ecce horrendi cautes, naufragia in latebris instant, et non vigilas! esto pervigil, esto amator bonorum operum, esto bellatrix pœnitentiæ, te enim triumphante, vivo ego in virtute Dei, et evado noxias partes; extende ad justitiam, imple pugillum tuum cœlesti semine: jacta semen pœnitentiæ, et collige fructus indulgentiæ. Noli dormire, dextra, sed fac opera quæ a te Christus expectat. Emenda errorem meum, dele dolorem meum, collige meritum quod dispersi, repara quod amisi, sed integra quod minoravi. Flammat fornax criminum, et tu siccas operis tui fontem? peccata prævalent, et tu subtrahis pietatis præsidia? Da rorem tuum, et refrigera in me quod æstuat in calore. Timeo namque ne dormientem sinistra superet, et rapiat me. Diripiendo ad funera, sic te excitantem dextram, et objurgantem sinistram, suscipit Christus et amplectitur. Dirumpit vincula tua, et deducit tanquam lumen justitiam tuam, et judicium tuum meridiano splendore illustrat: ut dextra ejus visitatus, gratiaque donatus, sed munere accumulatus, non tristis abscedas aut inutilis, sed gaudeas cum justis ad dextram venientibus in æterna requie permansuris.

LIBER DE MULIERE CHANANÆA.

Multi quidem configunt venti sæviuntque procellæ; sed vestrum conventum non dissolvit tentatio, nec studium violavit. Non cessat Ecclesia, quæ semper pugnat, et semper triumphat; tentatur et non superatur. In quantum pulsatur et premitur, in tantum prævalet et augetur: circum sæviunt undæ, sed non movetur lapis.

Sermocinantibus nobis, somnus recessit à vobis; nox se transfudit in diem. O conventus forensis! potest enim et hic esse conventus Ecclesiæ. Fecit nox in foro Ecclesiam, et mentis vestræ strepitus armavit industriam: cessavit omnis pigritia, con-

næa. Confer annotationem opusculo subjectam, paulo post initium. EDIT.

quievit ignavia. Quis hoc non volvat animo, aut quis non miretur, eo quod non solum nostri permanserint nobiscum, sed etiam incogniti congregati venerunt, et proficit tentatio in utilitatis augmentum? Nam sicut pluvia descendens nutrit semina germinantia, sic tentatio, cum examinaverit, animam salvat. Verbum Domini est immobile, et portæ inferni non prævalebunt ad eum. Seipsum vulnerat impug-nator Ecclesiæ; plebem vero fidelem insigniorem ostendit. Vires collidit proprias qui æmulatur Ecclesiæ; nobis vero triumphi confert dignitatem. Justus erat et antea Job; sed justior postmodum de agone emerit. Sanus validus factus est æger validior: clarus in opere factus est, in opinione præclarior. Nunquam igitur in tentatione formides. Si enim fueris in propria virtute fundatus, nunquam tibi oberit tribulatio, quæ patientiæ declarat virtutem. Sicut enim fornax cum examinat, augmentum facit in specie auri, sic tentatio addit animæ pulchritudinem. In quo enim noxia est flamma in specie auri? aut in quo humiliat tentatio patientiam, quæ tollit tristitiam, et auget lætitiā, et facit animam hominis in examinata specie refulgere?

Introduxit tentationes, ut excludat adversarios, qui me existimant inimicum. Congregati sunt maligni in unum; sed quid illi in confusione, et quales nostri in compassione? ubi sunt illi? num apparent? aspicio in foro, eo per plateas, et nullum video. Frondes fuerunt, et ceciderunt a vento; plumbum fuit, et liquefactum est; hi vero refulgent in specie auri. Quis eos quam criminosa eorum conscientia effugavit? Sciunt enim ipsi quid fecerint. Nam et Cain cum cœperat proprium perimere fratrem, perpetrato scelere, timens ac tremens super terram incessit: sic et isti non manibus quidem, sed mente malignati sunt; et illi quidem operati sunt necem, Dominus autem condonavit salutem. Hæc enim locutus sum propter vos, ut exsulet mens vestra in Domino, et nunquam in tentationibus trepidet. Petra est immobilis. O homo, quid flatus vereris? *Super hanc, inquit, petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non prævalebunt ad eam (Matth. xvi, 18).* Quandoquidem extranea, quandoquidem autem intestina sunt bella; sed nullus potest stabilitatem quassare structuræ. Quod autem expendo tempus, in exprobratione malorum; nec enim fas est insultare diutius inimicis, et filios despiciere scientes.

Igitur hesternis nobis Paulus apostolus adornavit convivium, hodie autem Matthæus: hesternis coriarius, hodie publicanus; hesternis blasphemus, hodie raptor. Sed non in blasphemia permansit blasphemus, nec raptor in rapina permansit. Factus est enim Paulus verus apostolus et utilis doctor; factus est enim et Matthæus Evangelii prædicator. Memorabo priora peccata, ut posteriora merita enitescant: ut discas tu quid sit converti de malo in bonum, ne aliquando desis in propria vita. Doctores igitur nostri prius in criminibus sorduerunt, et inde conversi in meritis sonuerunt. Quid blasphemus et

publicanus facti sunt? Nonne caput rapinæ et lex violentiæ? Quid est publicanus? prædo sine pudore, medicus exterminii. Nonne immanior est furibus publicanus? fur namque vel timens furatur: hic autem confidenter delinquit; sed hic publicanus repente apostolus; quomodo aut quo tenore? *Transiens Dominus vidit eum sedentem in teloneo, dixitque illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum (Matth. ix, 9).* O virtus sermonis! venit crucis palma, et fecit militem de captivo, et lutum protinus convertit in aurum. Venit crucis palma, et surgens publicanus secutus est Christum; de profundo mœroris gurgite super omne decoris fastigium sublimatur. Nemo igitur desperans salute fruitur, non est enim malum in membris vestris naturaliter insitum: de arbitrio nos gratiam libertatemque acquirimus. Publicanus enim factus est evangelista, blasphemus factus est doctor, latro paradisi meruit, seductor factus est verissimus adorator. Non est quidquam in criminibus, quod non pœnitentia resolvatur. Et ideo Dominus ipsius criminis destruxit fastigia, ut nullus vitam suam etiam in sexta ætate desperet.

Ne dicas intra te: Peccavi, et quid faciam? habes imitabilem [F. inimitabilem] medicum qui rescat morbum, et sanat omnem languorem; habes medicum qui adest gemitibus, et nutu imperat sanitatem. Ex tanta de improvviso materia finxit et vivificavit ut esses: nunc factum te et nutritum poterit oblivisci? non erat antea homo, et figuravit illum ex limo. Requiris forte qualitatem: nescio ego, ipse scit artem suam. Nunquid non eras terra? sed accepit partem terræ potens ille opifex, et fecit prius corpus tuum, in quo disposuit et distinxit varia membra, manus et pedes; caput etiam, in quo oculi et aures, os et odoratus, frons et genæ, et reliqua membra inferius. Ille ergo artifex qui sic te proprio finxit arbitrio, non potest tua auferre peccata? Noli sensus ejus rimari, noli nodos examinare virtutis, noli quærere quomodo fecit, sed mirare de facto.

Sed dicis: Feci peccata multa et magna. Et quis est de hominibus qui non peccet? Tu dic: Erravi super omnes homines, sufficit mihi in sacrificio ista confessio; dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris, cognosce quoniam peccator es: habe tristitiam, cum converteris: esto ac si desperatus et mœstus, sed et lacrymas compunctus effunde. Nunquid aliud aliquid fuit in meretrice, quam lacrymarum effusio? et ex hac profusione invenit præsidium, et accepta fiducia accessit ad fontem Dominum Jesum.

Sed veniamus ad causam. Quid ergo evangelista? *Et inde transiens Jesus venit in partes Tyri et Sidonis; et ecce mulier Chananæa (Matth. xv).* Miram rem ait evangelista. Ecce mulier caput peccati, arma diaboli, expulsio paradisi, doli mater, corruptio legis antiquæ. Ecce mulier veniebat ad Dominum Jesum, mulier alienigena de gentibus, novella plantatio. Mirum negotium! Chananæa sequitur; Judæi fugiunt, domestici derelinquunt, alienigena hæret! Ecce mulier de finibus illis egressa clamabat dicens: *Miserere*

mei, Domine, fili David. Mulier hæc evangelista efficitur. Probavit enim divini consilii sacramentum, quando et virtutem divinam obsecrat, et carnis naturam constitetur, dicens: *Miserere mei, fili David.* Considera pulchram mulieris mentem; vide quid dicit. Non est in actibus, inquit, meis, non mihi de conversatione justitia: ad misericordiam tuam confugio, ubi non resedit, nec requiritur locus salvandi. Et quomodo aasa est mulier legis ignara, tam iniqua, sic abrupte accedere ad fontem salutis? non petit Jacobum, non rogavit Joannem, non accessit ad Petrum; sed hoc intermittens, quid dicit? Non est mihi necessarius fidejussor; suscipit in se poenitentiae patrocinium, et sola currit, tenet eum in voce ac dicit: *Miserere mei, Domine, fili David.* Ideo descendisti, ideo carnem suscepisti, ut et ego loquar ad te, et cum fiducia petam. Cherubin aspectu ejus tremunt in cælo, et in terra mulier non formidat. Angeli metuunt in excelsis, et mulier non veretur; instat importune, et voce sua exaggerat, dicens: *Miserere mei, Domine, fili David.* Non habeo opus sponsoris: per me accedo, per me obsecro, miserere mei. Quid tibi opus est? misericordiam quero. Quid pateris? dolorem quem non suffero. Quid habes? filia mea captiva tenetur. Quid illi est? male a dæmonio vexatur. Et quid nunc? miserere mei, Domine. Pignus meum consumitur, et pars corporis violatur. Opinio, inquam, exiit de filia mea; noli me videre peccatricem et miseram: tu es Deus qui secreta consideras. *Filia mea male vexatur.* Quid desideras? ut liberetur de plaga. Miserabilis luctus consumpsit uterum meum, et animam meam perturbat sæva tempestas. Quid faciam nescio. Patitur misera, nec sentit tormenta: nec mortem scit timere, nec vitam sperare. *Miserere mei.* Jacet confusa, et causam tormenti ignorat. Me aspice, Domine, me exaudi, vide diurna vulnera mea. Illa patitur, et ego deficio: passio ejus pavorem incutit cunctis, facta sum omnibus spectaculum: quid faciam, aut quo vadam? non possum ab illa quoquam divelli, non potest sola derelinqui. Non enim desoris venit, sed intus est expugnator, in se habet hostem et gladium; navis est quæ de se concitat tempestatem, non invenio nomen passionis ejus. *Miserere mei, Domine, fili David.* Utinam defuncta fuisset filia mea, quam sic viveret! Si enim mortua fuisset et sepulta, exacto jam tempore oblita fuisset, nec meminisset vulneris aut doloris. Nunc vero cadaver semper in domo est: causa mea, sepulcrum ejus; augetur quotidie vulnus meum, et crescit opprobrium. Quomodo? video oculis meis; istorum aspectu, torqueri manus, crinium vittas exsolvi ac spargi, spumas ex ore diffundi, dare mugitum horrendum, sævire intus invisibilem inimicum, improvisum hostem et pugnam manifestam. *Miserere mei, Domine, quoniam filia mea erat, et facta est dæmonis esca.* Non andeo illi proximare, non possum contingere, prohibet me pavor, expellit ipsa passio dira. *Miserere mei, Domine, fili David.* Qui ex vobis patres fuerunt, adju-

vent verba mea: quæ matres, lacryment una mecum. Non sufficio exponere dolorem, quem mulier ista sustinuit. *Miserere mei, Domine, fili David.* O prudentia femine! non utitur hominibus seductoribus, non secuta est vates fallaces, non quæsitivianes ligaturas, aut ad falsa confugit præsidia: sed omnem relinquens diaboli cultum, venit ad Dominum Jesum omnium salvatorem, et dicit: *Miserere mei, filia mea male vexatur.*

Vidisti sensum mulieris probantis sapientiam ejus; sed vide aliud novum et inexpertum negotium. Petit et obsecrat, et lamentum suum producit in clamorem: et amator omnium Deus non ei respondit verbum. Tacet fons vitæ, et pius medicus contulit medicinam, et abnegat curam. Quid est hoc, Domine? nescio, si non suscipis pulsantem mulierem! O sapientia medici! Dominus, inquit, non respondit ei verbum. Quapropter, nisi ut detegeret sapientia ejus virtutem? Propterea dicunt discipuli: *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Sed humanus Deus vitam mulieris virtutemque pulsabat. Et quid ait? *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israel.* Nihil proficiunt, nec ipsi apostoli suggerentes. Verus medicus differt magis curam, exulcerat vulnus, et potestatem suam arte quadam excusat, ut latentia panderet sacramenta. *Non sum, inquit, missus, nisi ad oves quæ perierant domus Israel.*

Hinc hunc considerate sermonem, et ad verba mea dirigite intellectum, quoniam profundam volo comparationem exsolvere. *Non sum missus, nisi ad oves perditas Israel.* Quid est hoc verbum? quæ est ista excusatio tua? et multa in te mysteria revelasti, ut unum tantummodo angulum liberares, et integrum relinqueres orbem? Pontum, et Asiam, et Ægyptum, Ciliciam et Cappadociam, et reliquas nationes relinqueres, et de Israel tantummodo curares? relinques terram desertam, nationes despectas, et solis Judæis factus es liberator? Non vides injurias Patris tui in falsis simulacris, et in dæmonum carimoniis exerceri? Annon hæc etiam prophetæ vulgaverunt? Quid dicit affinis tuus David? *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (Psal. 11, 8).* Quid Esaïas, qui seraphin oculis suis respexit? *Exsurget virga de radice Jesse, qui dominatur omnibus, et in eum fines terræ sperabunt (Esa. 11, 1).* Quid Jacob patriarcha dicit? *Non deficiet princeps ex Juda, nec de senioribus ejus dominator, donec veniat, cui destinatus est; et hic est expectatio gentium (Gen. 49, 10).* Quid etiam Zacharias propheta? *Propter vos, inquit, claudentur portæ cæræ, quoniam ab ortu solis usque ad occasum glorificabitur nomen Domini, in omni loco effudent libamina ante ipsum (Zach. 1, 20, 21).* David ipse quid iterum dicit? *Omnes gentes, plaudite manibus, quoniam Deus excelsus terribilis et rex magnus super omnem terram (Psal. 46, 2, 3).* Denique quando natus es in carne, quos vocasti? nonne Magos? Nunquid propheta venisti vocare, qui ipsam salutem gentibus cecernerunt? Apostolos etiam cum mitteres,

quid eis dixisti? *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. xviii, 19). Et nunc quando misera hæc mulier acerbis doloribus et stimulis coarctata rogat te et obsecrat pro filia sua, ut eam a funesta passione absolvas, modo dicis: *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel*. Venit ad te centurio, rogans pro puero suo, et dixisti: *Ego veniens curabo eum*, Pendenti latroni paradisum reparasti, paralytico imperasti dicens: *Surge, tolle lectum tuum et ambula*. Lazarus de monumento te vocans redivivus surrexit, varia quoque languorum genera verbo sanasti, latrones liberasti, meretrices virginibus prætulisti, solam hanc miseram Chananæam respuisti deprecantem. Quid est hoc verbum miraculi inauditum? Nunc intende te, ut sciatis, quale compendium incipit revelare. Quando liberatus Israel a plagis Ægyptiorum, et a Pharaone extractus transiit populus per desertum, præcepit ei Dominus in lege ut non communicarent Chananæis nec convenirent cum eis, quoniam sine lege erant, idola immunda colentes. Præcepit ergo Deus in lege Judæis ut non mercarentur cum eis, nec connubia in semine eorum miscerent, ne per hæc a suis legitimis privarentur, et profanis idolorum cultibus jungerentur. Aspice, et considera, et intende quæ dico, quia adhuc in textura est tela. Mulier ista Chananæa erat de gente immunda, quibus non licebat communicare cum eis. Quid ergo? sub lege venerat Dominus, ut adimpleret, et non solveret legem. Igitur si ad momentum audivisset mulierem, dicerent Judæi: Ideo te non audimus nec sequimur, quoniam solvis legem. Præcipit enim lex abstinere a Chananæis. Propter hoc tacet Dominus: propter hoc non respondit mulieri. Vide quomodo servat legem, ut Judæos confunderet, dicens: *Quisnam vestrum me arguit de peccato?* Ecce non respicio ad mulierem Chananæam; ecce clamat sine causa; ecce obsecrat, et non exauditur: ecce quomodo teneo legis formam, ne dicatis quoniam præterivi legem. Ideo non credimus in te. Non ex me, sed ex vobis est error. Obmutescite itaque propter observantiam legis: ecce nationes ad me veniunt, ecce populus quem non novi, mihi servire festinat: nolite argumentosis occasionibus uti. Ecce a non cognoscentibus me cognitus sum, et a cognitis ignoratus; ecce alienigenæ obsecundant, et domestici ræviunt. Hæc est itaque prima causa, quod distulit Dominus respondere mulieri.

Interea persistit in clamore mulier, dicens: *Adjuva me, Domine*. Et ipse tantum respondit: *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus*. O prudentia medici! multis difficultatibus suspendit mulierem, ut duplici postremo honore cumularet, dicens: *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus*. Qui sunt filii? quos vides. Confundens eos hoc dicit, quia fuerunt filii, et facti sunt canes, de quibus Paulus dicit: *Videte canes, videte malos operarios, videte interfecit oves*. Nos autem qui velut canes eramus, de gentibus facti sumus filii in eorum ra-

A dice, quos ita exhortatur Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Accensat ergo Judæos, cum dicit: *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus*.

Sed quid respondit mulier? *Etiam, Domine, potes, si volueris*. O mulier violenta! Dominus dicit: *Non licet*; et illa dicit: *Etiam, Domine, potes, si volueris*. Oblita est verecundiæ, et intermisso pudore conatur vincere Dominum. Dominus dicit: *Non licet tollere panem filiorum, et mittere canibus*; et illa respondit: *Etiam, Domine, sum quod d'icis*. Canem me vocas, canis sum: agnosco nomen meum: confundis me tu; sed ego non recedo a te. Canis sum, sequar te, quasi canis; porrige mihi aliquid. Non quæro panem filiorum: da mihi vel micas, quoniam et catuli manducant de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. O certamen pietatis! o prudentia femine! Canem me dicis, Domine: sum ego. Ergo nutri me velut canem: non possum relinquere mensam domini mei. Canem me appellas: porrige micas. Dixisti causam meam, distulisti petitiones meas, manifestasti conditionem meam: adjuva me nunc, quoniam et *catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. O mulier! accepisti subito laudem, et inventa es electis electior. Idcirco tacet Dominus, ideo distulit et protraxit, ut mentem tuam perpenderet, et vivam de te produceret vocem. Si enim, statim ut cœpisti petere, accepisses, recessisses, et nemo fidem tuam probasset, nullus mentis tuæ cognovisset arcanum. Num autem quia intelligis Dei virtutem, et sic te cognoscis ut dicas: *Etiam catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum*; laudo te ego et dico: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*.

Audiant hæc inertes et improbi qui dicunt: *Oravimus, et non impetravimus*. Quid loqueris, homo? instanter ora, importune obsecra, siquidem pulsanti aperietur. Sed dicis: *Deprecatus sum semel, iterum, et ter, et quater, et septies, et decies, et vicies, et non exaudivit Deus*. O stulta inventio! et quid nunc, quia nos es exauditus, jam recedis a Domino, et desistis a prece? aut non vides perseverantiam mulieris Chananææ, quomodo magis aperiata insistit, et repulsa importunius obsecrat; nec ante cessavit quam quæsit invenit? Sunt multi quidem qui intrant in ecclesiam, et strepunt in oratione, confuse atque intemperata voce dispergunt verba sua, et egressi foras oblitum sunt omnia. Ili sunt qui labiis hinniunt, et corde non concipiunt. Si tu ipse dicta tua et preces ignoras, quomodo te exaudit Deus? Dicis: *Inclinavi genua mea, et oravi*. Genua tua inclinasti in terram: et mens tua foris per diversa discurrit. Corpus quidem intus, sed cogitatio foris; lingua tua pecunias numerat et usuras. Diabolus malus et invidus inimicus, quando oramus, tunc magis incumbit et obstrepit. Non nos pulsant cum securi jacemus in lectulis: venimus ad orationem, et ille nos cogitationum stimulis turbat.

Hujus versutias cogitantes revertimur ad mulierem

Chananzæam, quæ sic obsecrat : *Miserere mei, Domine, fili David, filia mea male a dæmonio vexatur.* Dic et tu, *Miserere, Domine, quia anima mea pulsatur a dæmonio. Magnus dæmon est peccatum animæ. Nam dæmon exstinguitur; peccatum vero stat, nisi satisfactionibus absolvatur. Grandis sermo est, Miserere mei, Deus; brevis quidem, sed virtute plenus. Nam etsi foris fueris, clama, et dic, Miserere mei, Deus. Clama, non voce, sed mente; nam et tacentes exaudit Deus, nec tam locus quæritur, quantum sensus. Hieremias in carcere confortatur; Daniel inter leones exultat; tres pueri in fornace tripudiant; Job nudus sub divo triumphat; paradysum de cruce latro invenit. Quid ergo si fueris in publico foro? ora intra te : noli quærere locum; locus ipse es. Ibi, ubi fueris, ora. Si fueris in balneo, ora, et ibi templum est. Si steteris ante judicem, ora; insurgit iudex contra te, ora. Mare ante te est, et post te sequitur Phærao, ora. Nihil loquitur Moyses, et Dominus ei dixit : *Quid clamas ad me? Os ejus tacet, et præcordia clamant. Et tu cum steteris ante judicem furiosam, ubi sunt crudeles ministri, ora intra te, et turbines illi protinus solventur. Judex contra te est, tu te ad Dominum confer; proximat te pœnis affligere, tu ora intrepidus, et sedabitur insania. Nunquid homo est Deus, ut labore quæretur per loca diversa? Deus est qui adest ubique. Si quæris hominem, dicitur tibi : Non est hic, aut non illi vacat. Non est sic in causa Dei : hoc tantum est ut dicas, Miserere mei, Deus; et ipse prope est, ut te liberet : et adhuc loquente te dicit, Ecce adsum.**

Quid ergo Chananzæa? *Utique, Domine, nam et catuli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Et quid Deus? O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ubi sunt disceptatores iniqui? Nunquid dixit, *Expecta mulier, donec oro Patrem meum. Sed quid dixit? Fiat tibi sicut vis.* Quantum elegantior illa in fide, tantum Christus eminentior in virtute, qui gratiam suam sensibus ejus infudit. *O mulier, magna est fides tua.* Quomodo magna? non vidisti mortuos resurgentes, non vidisti leprosos mundari; non cognovisti legem, non audisti prophetas; sed audisti impropria, et meruisti repulsam; refutavi te, et non recessisti a me. *O mulier, magna est fides tua.*

Mortua est mulier, et laus ejus speciosa est plusquam margaritis intexta corona. Quocumque ieris, audies Christum prædicantem : *O mulier, magna est fides tua.* In Gothorum concilio, in Sidoniorum vel Persarum conventu, clamat hodie Dominus Jesus et dixit, *O mulier, magna est fides tua.* Et quid deinde? *Fiat tibi sicut vis.* Non dixit : Sano filiam tuam; sed, *Fiat tibi sicut vis* : id est, tu ipsa sana filiam tuam; tibi eam trado; tu eam cura, in tuo arbitrio pono et medicinam : vade in pace, et pone super eam manus tuas, et fiat tibi sicut vis, cum tua voluntate a passione purgetur. Non jussit, non imperavit dæmonem ut exiret, sed fiat tibi sicut vis. Voluit enim ut ipsa mater sanaret filiam suam, et dæmonem effugaret. Ubi sunt qui dicunt, non virtute, sed prece

A omnia impetravit? Si minor est Patre, quomodo dicit : *Fiat tibi sicut vis : et sanata est filia ejus ex illa hora?* Veniebat enim mater de foris, sed antequam veniret, sanata est. Intravit et invenit filiam suam ab inquinando dæmone liberatam. Consummata est voluntas ejus, et facta est sanitas; et pro eis omnibus gratias agamus Deo vivo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIO.

LAURENTII'S episcopus, cujus libellum seu homiliam mox retuli ex ms. codice Germanensi, is est quem laudat Sigebertus Gemblacensis monachus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 120. *Laurentius Mellifluus scripsit librum De duobus temporibus, id est uno ab Adam usque ad Christum, altero a Christo usque ad finem sæculi. Declamavit etiam homilias ore quasi mellito : unde agnominatur Mellifluus.* Laurentii liber De duobus temporibus typis vulgatus est in tomo VI Bibliothecæ Patrum, præfixo hoc titulo : *Sancti Laurentii episcopi Novarum homilia de Pœnitentia.* Quæ homilia in exemplari nostro subjicitur superiori libro seu homiliæ cum hac inscriptione : *INCIPIT LIBER SECUNDUS SANCTI LAURENTII DE DUOBUS TEMPORIBUS. Duo sunt tempora ab Altissimo præstituta, etc.* Nemo igitur ambigere debet eum esse Laurentium qui Sigeberto cognominatur *Mellifluus*, quique utriusque libri seu homiliæ est auctor. At quis iste Laurentius episcopus? Margarinus Binus suspicatur esse e Laurentium priorem, qui ex Novariensi factus sit Mediolanensis episcopus vigesimus quintus ad annum Christi 507, cujus encomia videatur celebrare Ennodius Ticinensis episcopus in dictione missa Honorato Novariensi in dedicatione basilicæ Apostolorum. Binio facile assentio, quibusdam adductis conjecturis, quæ tum ex libro seu sermone hic edito, tum ex Ennodii dictione prima in Natali Laurentii episcopi Mediolanensis desumuntur. Laurentius quippe in sermone de muliere Chananzæa, quem de nocte in foro habuit, mentionem facit quorundam adversariorum suorum, quorum improbitate non solum ipse vexatus sit, sed etiam alii partium ipsius fautores. Atqui Ennodius in dictione prima Laurentium laudat ob patientiam malorum, quæ ipsi ex adversariorum factione semel et iterum contigerunt : primum quidem cum ab hostibus expugnata civitate inter suas et populi injurias stetit infractas, tum in exilium missus, ac demum urbi suæ redditus est; deinde vero cum Romam in synodum accitus anno 502 pro absolute Symmachi papæ, adversantium procellas sustinuit. Expugnatio illa et direptio urbis Mediolanensis, simulque Laurentii exilium contingere per Odoacrem, uti Sirmondus opinatur, quando Tufa duce adversus Theodericum Ostrogothorum regem rebellavit. Theodorico victoria potito, Laurentius Mediolanum rediit, urbemque ex pristinis ærumnis recreavit. Tum vero superiorem homiliam de muliere Chananzæa habuisse mihi videtur, cujus reditum ita celebrat Ennodius in dictione prima : *Cum ex alto benignis oculis cælestis Dominator aspexit, Mediolanensium urbi lux est propriæ reddita sacerdotis. Tunc cum rarus habitator, tunc cum error in domibus, et per dulcia cubiculorum limina confusa discursio; tunc cum ubique pavor et luctus, et Dei templa ferarum habitationi deputata sordebant; cum marcens incuria splendidissima dudum atria situ vetusti humoris obnuberal, lætitiæ cæteris tuo dedisti de reditu, tu regressus ad lacrymas, etc.* Melliflui etiam nomen quadamtenus inferius indicat Ennodius ubi ait Laurentium in synodo Romana minantium impetus blandimentorum melle domuisse. Porro in homiliis suis Laurentius in id potissimum incumbit, ut peccatoribus fiduciam obtinendæ a Deo remissionis ingeneret; sicque de pœnitentia loquitur, quasi eam solis humani arbitrii viribus ascribere videatur.